DESCRIPTIO

ECCLESIASTAE SIVE CONCIONATORIS *Euangelici, iuxta omneis Rodolphi Agricolæ Phryſij de Inuentione Dialect. locos, per Alardum Aemſtelredamum compendio explicata, commodisq; & breuibus ſcripturæ ſacræ, pariter et Orthodoxorum ueterum teſtimonijs pertractata.*

RATIO CVIVSLIBET REI PER *omneis Inuentionis Dialecticæ locos deſcribendæ.*



PARISIIS.

Apud Chriſtianum Wechelum.

M. D. XXXIX.

Rodolphus Agricola lib. de Inuentione Dialecticæ ſecundi, Cap. XXIX. Sumamus exemplum: Philoſopho habenda eſt uxor. Hic Philoſophum per ſuos explicemus locos, ſimiliter & Vxorem.

ALARDVS AEMSTELREDAMVS AVDITORIBVS SVIS.

Poſteaquàm proximis hiſce uacationibus, duos priores Inuentionis Dialecticæ commentarios, in ueſtram adeò gratiam, ueſtrumq; profectum, ſtudioſi chariſſimiq; auditores, aggreſſi ad Hominis, Philoſophi, *pariter &* Vxoris *deſcriptionem adduximus: ob id operæpretiū me facturū exiſtimarim, ſi exemplis aliquot aliarum quoq; deſcriptionum, quæ hactenus præcepit* Agricola *noſter, manifeſta faciamus.* Quis igitur niſi baptiſmus primùm, deinde hæreſis, ad extremum eccleſiaſtes auſpicatiſſimus dederit deſcribendi exordium? *Vt qui ſit ianua uitæ, quo uno atq; adeò uno ſalutis fores aperiuntur, per quas ſi quis introierit, ſeruabitur & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet.* Nam *ſi ſeruator ille noſter:* Niſi *quis (inquit) natus fuerit ex aqua et ſpiritu ſancto, nō poteſt introire in regnū* Dei, *qua fronte, quò ue ore, nos aliundè deſcriptionē auſpicabimur, niſi ab eo, ſine quo nulli contingit ſalus?* Hoc *ſine ulla dubitatione confirmantes, inter omnia ſacramentorum genera, quæ uel paruulis, uel adultis, tum publicè, tum priuatim perquàm neceſſaria ſunt, nihil eſſe prius baptiſmate.* Proindè *meritò uoce*

magna,& bonis laicribus in concionibus popularibus,de hoc ſedulò uerba facere deberemus,omniq; qua poſſumus exhortatione adniti, ut memores ſuſceptorum in baptiſmate uotorum omnes efficeremus. Id ſi (ut olim paßim fuit ſolenne) noſtro quoq; ſeculo obſeruaſſet uulgus eccleſiaſtarum,non ita iam nunc per uniuerſum terrarum orbem turbaretur eccleſia peſte anabaptiſtarum. Ac quò indigniùs paruulorũ baptiſmum non ſine ſumma diuinæ inſtitutionis iniuria faſtidit improbitas audaciáq; quorundam, cò ſtudioſiùs & illis reſiſtendum,& paruulis proſpiciendũ. Iam uerò quum ſummo etiam ſtudio,aut ueriùs pertinacia,& uerè gladiatorio (quod dici ſolet) animo paßim retingendi errorem excitent quidam operarij doloſi, ſibi ipſis imponentes perſonas Apoſtolorum Chriſti,multorumq; oculos Satanicæ lucis fulgore perſtringant,decreui compendiaria baptiſmi Chriſtiani deſcriptione tam ſæuo malo occurrere,tamq; præſentaneo ueneno certum ac paratum commonſtrare antidotum. Turpe ſiquidem fuerit,cùm illi in promouẽda perfidia ſua nullum remittant nec tempus,nec locum,nos in aſſerenda ueritate oſcitanter agere, ac nõ potius pro ſua quenq; uirili quod poteſt,in commune conferre,cùm grauiter præcipiat ſapiens noſter: Erue
Prouer.24 eos qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum,liberare ne ceſſes. Si dixeris: uires nõ ſuppetunt,qui inſpector eſt cordis,ipſe intelligit,& ſeruatorem animæ tuæ nihil fallit,redditq; homini iuxta
opera

opera ſua. Hanc igitur Solomonis admonitionem, ſimul & Agricolæ conſilium ſecuti, hæc, qualiacunque dominus largiri dignatus eſt, in medium damus: & idcirco damus, ut ex his appareat, hanc deſcribendi rationem non ſolùm ad inueniendum magnopere iuuare, uerumetiam ad dicendum, de quacunq; re uelis. Proindè non abſurdè uidetur Rodolphus exiſtimare Gorgiam, Prodicum, Protagoram, Hippiam, & alios ueteres illos profeſſores artium, quos Græci ſophiſtas, id eſt, doctores uocabant (qui ad eam eruditionem promptitudinemq; dicendi peruenerunt, ut de qua re audire quis uellet, proponi iuberent, dicerentq; quamdiu, quantumq; uideretur de eo quod eſſet propoſitum) ex hiſce fontibus ubertatem illã hauſiſſe. Qui enim nequibit rem propoſitam per locos deſcribere, nihil eſt quod inuenturum ex locis certa ſe ratione confidat. Hoc enim primum eſt totius inuentionis caput, ex quo commodè tractato, omnia copioſiſsimè proferuntur.

Eccleſiaſtes ſi-

VE CONCIONATOR EVANGELI-
cus, iuxta omneis Inuentionis Dialecticæ locos, ſanè quàm luculenter explicatus per Alardum Aemſtelredamum.

Ex definitionis pariter ac deſcri-ptionis loco I.

E*Ccleſiaſtes eſt orator diuinus, diuinitùs eruditus, euangelici prudentia inprimis præditus, & inſigniter bonus.* Concionator *eſt miniſter* Deo *dicatus, qui literas ſacras æquans cum uitæ ſanctimonia, & facit, & docet omnia quæcunq; præcepta ſunt.* Eccleſiaſtes *eſt uir præterquàm ſacer, etiam ſyncerus, qui publicitùs orat apud promiſcuam multitudinem.* Eccleſiaſtes *eſt paſtor datus ſecundum cor domini, dominicum gregem paſcens ſcientia & intelligentia,* Hiere. 3. Concionator *eſt paſtor bonus animam ſuam dans pro ouibus,* Ioan. 10. Eccleſiaſtes *eſt doctor* Euangelicus *ea ſapientia præditus, ut non fallatur iudicio, melior uir quàm ut quenquam ſciens uelit fallere, tantæ charitatis, ut inimicis quoq; cupiat prodeſſe.* Eccleſiaſtes *eſt* Euangeliſta *ſeruiens domino cum omni animi humilitate, cumq; multis la-*

chrymis & tentationibus, quem afflictiones & mille manent incommoda. Verùm *nihil eum mouet perſecutio: neq; uita ſua chara eſt ſibi ipſi, ut conſummet curſum ſuum cum gaudio, & miniſterium quod accepit à domino* IESV, *ad teſtificandum euangelium gratiæ* Dei, Act.20. *Eccleſiaſtes eſt diſpenſator fidelis ac prudens, quem conſtituit dominus ſuper famulitiũ ſuum, ut det illis in tempore demẽſum cibum,* Luc.12. Eccleſiaſtes *eſt ſcriba doctus ad regnum cœlorũ, ſimilis homini patrifamiliâs, qui depromit è theſauro ſuo noua & uetera,* Matth.13. *Genus, orator, uir, diſpenſator, ſcriba, doctor, miniſter, euangeliſtes. Species & indiuidua, Moſes,* Aaron, *Ioſue, Samuel, Eſdras,* Ioannes Baptiſta, IESVS CHRISTVS, Pe*trus,* Paulus, *Stephanus, &c.*

DIVISIO.

N*Onnulli quidem per inuidiam & contentionem, nonnulli uerò & propter bonam uoluntatem* Chri*ſtum prædicant. Alij quidẽ ex contentione Chriſtum annunciant, non purè exiſtimantes ſeſe afflictionem addere uinculis meis. Alij rurſus ex charitate, ſcientes quòd in defenſionem euangelij conſtitutus ſum,* Philip.1. *Alij breuiter atq; dilucidè concionantur, ut qui rem exactißimè tenent. Alij prolixè nec minùs obſcurè, nempè docendo diſcentes. Quidam in ſuggeſtũ, hoc eſt, cathedram pluſquàm regiam inſiliunt, nulla inſtitutione ad hoc munus præparati, qui perfricta fronte uoluunt linguam, intenduntq; uocem, detonan-*

tes quicquid in buccam uenerit, aut quicquid eis præſcriptum ſit ab indoctis, aut certè quicquid humanus dictauerit affectus. Aliorum *oratio nihil ſpirat niſi adulationem, gloriam, ac quæſtum, & quod his deterius eſt, odium & liuorem proximi. Sunt qui inter concionandum in lingua geſtant uirus, aſpidum ueneno præſentius. Sunt rurſus qui lingua medentur ſaucijs, & lingua medica ſanant peſtilente lingua infectos.* Non *parum multi humano affectu ambiunt* Ecc*leſiaſtarum munia.* Alij *ardent deſiderio bene merendi de plurimis:* Pl*eriq; nullo delegante prouinciā inuadunt.* Q*uidam uelut fideles excubitores, qui ſtāt ſuper muros* Hier*uſalem, neq; noctu, neq; interdiu tacent, ſed tanquàm canes latratu deterrent fures nocturnos, conantes irrumpere in domum* Dei. Alij, *ut ſolent ingeneroſi canes ad proiectum cibum, uocem continent, & pro fruſto panis ſuſtinent à cœlo excidere.* Q*uidam in tantum abſtinent à ſpecie cauponādi uerbum* Dei, *ut & diuitibus impertiant gratis ſacram doctrinam: quò maiore fructu id faciant, & pauperibus addunt etiam de ſuo ſubſidium, & ſic uiuunt.* Alij *ultroneam bonorum liberalitatem non reijciunt, & ut* Leuitæ, *& ſacerdotes, ac pontifices ueteris teſtamenti, ex decimis, uictimis, ac donarijs uiuunt.*

GENVS.

2.Tim.3. Q*Vum omnes qui uolunt piè uiuere in* Chriſto I*eſu, perſequutionem patientur, tum maximè ij*

concionatores, qui cum Paulo reijciunt occultamenta dedecoris, non uerſantes per aſtutiam, neq; dolo tractantes uerbum Dei, ſed manifeſtatione ueritatis cõmendantes ſemetipſos apud omnem conſcientiam hominum in cõſpectu Dei. Multa egregiã Apoſtoli pro fide erga populum Iudæum, proq; uniuerſo nomine Chriſtianorum, terra, mariq; auſi ſunt: nihil tamen magnificentius, quàm quod ea tempeſtate, qua omnis libidinis crudelitatisq;, & inhumanæ ſuperbiæ editum in profeſſores, hoc eſt, concionatores nominis Ieſu eſt exemplum, ibant gaudẽtes à conſpectu concilij, quòd digni habiti eſſent, ut pro nomine Ieſu contumelia afficerẽtur. Si Paulus omnibus Chriſtianis præcipit ut abſtineant ab omni ſpecie mala, certè in primis Eccleſiaſtis, ut quorum dignitas uelut in theatro collocata, totius urbis oculos in ſe habet intentos, quorumq; autoritas facit, ut animaduertatur quicquid faciant: maleuolentia autem facit hominum, ut nonnulla duriùs quàm ab eis facta ſunt, proferantur. Quum omne miniſterium miſeria eſt, tum carnificina eſt & prophetandi, & euangelizandi profeßio. A Phaſſur pugno uapulat, nec cædit Hieremias, & rapitur in neruum. Eſaias in duas partes ſectus, exterminatur ſub impio Manaſſe. Helias uarijs inſidijs à crudeliſſima Ieſabella ad cædem petitur. Micheas palma Sedechiæ percutitur, deinde in carcerem compingitur ab Achab impio, latrone uerius quàm rege. Daniel in lacu leonũ deſtituitur. Tres pueri Babylonio probantur

bantur camino. Amos uecte per tempora transfigitur ab Oſia, Amaſiæ ſacerdotis filio. Zacharias à Ioab rege occiditur inter templū & altare. Iacobus frater Ioannis gladio truncatur ab Herode. Petrus à quatuor quaternionibus militum aſſeruatur ad ſimile ſpectaculum in carcere. Paulus adpellatur homo peſtilens, autor & conditor ſeditionum, toto orbe lapidatur, naufragatur, uirgis ſcinditur, periclitatur in itineribus, in fluminibus, in falſis fratribus, adde labores, ærumnas, famem, ſitim, frigus, nuditatem. Ioānes Baptiſta decollatur. Stephanus lapidatur. Quid quæris? Chriſtus ipſe in cruce impuriſſimè crudeliſſimeq; excarnificatur. Non eſt igitur diſciplina delicatorum, functio munusq́; concionatorum. Chryſoſtomus in Matth. Homel. 9. Omnis artifex oportunitatem operis ſui uidens gaudet. Carpentarius ſi uiderit arborem bonam, concupiſcit eam præcidere ad opus artificij ſui: Agricola ſi uiderit terram pinguem, deſiderat eā arare. Et quid dico de rationabilibus hominibus? Ipſe irrationabilis equus de ſtabulo exiēs, ſi uiderit campos patentes, rapit frenum, & excitatur ad curſum: Sic & omnis ſacerdos cùm uiderit eccleſiā plenam, gaudet animus eius, & delectatur ut doceat: ſi autem uiderit eccleſiam uacuam, confunditur, et nihil dicere poteſt.

SPECIES III.

IOannes Chryſoſtomus de Lazaro concione prima: Nam & ruricola, ubi ſemel atq; iterum ac ſæpius

piùs ſemen áruo commiſit, nec uotis reſpondet pro- uentus, rurſus eandem exercet ſegetem : neque raro fit, ut totius temporis iacturam uno ſarciat anno. Sic & negociator quanquàm crebrò fecit naufragium, non tamen abſtinet à portu, ſed & poſteà nauim detraxit, & nautas conduxit, & pecunijs mutuò datis eadem aggreditur negocia, idq́;, cũ nihilo magis nũc ſciat quomodò ceſſurum ſit, quàm ſcierat anteà. De- *niq; quicunq; ſolent aggredi rem quancunq;, ita fa- cere conſueuerunt, quemadmodum faciunt agricolator ac negociator.* Et *poſt hæc quum illi tantam adhibeant curam ſtudiumq́; circa res, ad præſentis uſum uitæ pertinentes, quũ exitus ſit incertus: nos ſi loquẽtes non auditi fuerimus, ilico deſinemus?* Et *quã obtinebimus ueniam?* Q*uid excuſationis adferemus? & quæ ſequuntur.* Ambroſius *nõdum ſacro lauacro renatus à profana præfectura, ad epiſcopi functionem uocatur.* Chryſoſtomus *à cauſsis forenſibus,* Auguſti- *nus ac* Cyprianus *è ſcholis* Rhetorũ, *atq; è uita communi ad regendam eccleſiam uocati ſunt.* Atq; *item alij complures.* Non *igitur ſemper è cellis anachoritarum, & è ſeceßibus ac cœnobijs (quanquàm & illic animi uerè ſpirituales reperiuntur) ſemper euocandi ſunt, quibus docendi populũ munus rectè committatur. Si mercator ut rem familiarem amplificet, terroris plena maria nauigat. Si opifices ut reb. ſuis quicquàm adijciant, duros tolerãt labores, ac ita deinceps omnes; & concionatores ſaluti ſuæ, ſalutem*

proximorum

proximorum adijcere conſentaneum eſt, præſertim qui ſua ſorte contentus, negligit alienam, nec ſuã quidem conſequi poteſt. In prælio enim & expedita acie, qui ſibi ſolùm conſulit miles, nec aliud reſpiat, quàm quo modo poßit fugiendo animam ſuam ſeruare, is cæteros quoq; milites in perniciem trahit: quemadmodum contrà generoſus miles, cùm alios tutari conatur, ſe quoq; defendit.

PROPRIVM ET DIF*ferentia.* IIII.

I*Nſigniter bonum eſſe diuinitusq; eruditum, &* E*uangelica prudentia preditum,* διδακτικὸν *eſſe, hoc eſt, appoſitum idoneumq; ad docendum.* I. *Tim.* 3. *Oportet igitur epiſcopum eſſe aptum ad docendum,* θεοδίδακτον *eſſe, hoc eſt doctum à* Deo. E*ſai.* 54. V*niuerſos filios tuos doctos à domino.* Hier. 31. D*abo legem meam in uiſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.* Ioan. 6. E*ſt ſcriptum in prophetis:* Et *erunt omnes docti à* Deo, *gregem dominicum ſcientia & intelligentia paſcere. Docere & facere omnia quæcunq; præcepta ſunt.* Et *populum meũ docebunt quid ſit inter ſanctum & pollutum, & inter mundum & immundum oſtendent eis.* Et *cum fuerit controuerſia, ſtabunt in iudicijs meis, iudicabunt: & leges meas, & præcepta mea in omnibus ſolennitatibus cuſtodient, & ſabbata mea ſanctificabunt,* Ezec. 44. H*ieronymus in* A*ggeum, cap.* 2. *Simulq; cõſidera ſacerdotum eſſe officij, de lege interroganti reſpõdere.*

dere. Si ſacerdos eſt, ſciat legem domini: ſi ignorat legem, ipſe ſe arguit non eſſe domini ſacerdotem. Sacerdotis eſt enim ſcire legem, & ad interrogationem reſpondere de lege, &c. Hieronymus *in epiſtola ad* Nepotianum *de uita clericorum:* Nolo *te declamatorem eſſe, & rabulā garrulumq; ſine ratione, ſed myſteriorum peritum & ſacramentorum,* Dei *tui eruditiſsimum. Verba uoluere, & celeritate dicendi apud imperitum uulgus, admirationem ſui facere, indoctorum hominum eſt. Attrita frons interpretatur ſæpe quod neſcit, & cùm alijs perſuaſit, ſibi quoq; uſurpat ſcientiam.* Quinq; *ſunt epiſcoporum munia præcipua, adminiſtrant nouæ legis ſacramenta, orant pro populo, indicant, ordinant, & docent.* Huic *oſtiarius aperit, & oues uocem eius audiunt.* Et *proprias oues uocat nominatim, & educit eas.* Et *cùm proprias emiſerit, ante eas uadit, & oues illum ſequuntur, quia nouerunt uocem eius.* Igitur *is demum ſolus uerus & (quod eſt proprium paſtorum) bonus eſt paſtor ouium.* Alienum *autem non ſequentur, ſed effugient ab eo, quia non nouerunt uocem alienorum: falſus ergo. & malus eſt paſtor.* Cognoſcit *oues ſuas, & cognoſcitur à ſuis, eſt igitur paſtor bonus,* Ioan. 10.

TOTVM V.

A Primis ſtatim annis organum ſpiritui ſancto præparatus eſt, moribus ac diſciplinis excultus, breuiter omnibus inſtructus eſt, quæ propiùs ad docendi faciūt facultatem. Iure *igitur* Eccleſiaſtæ *muneri deſtinandus*

ſtinandus eſt. Ad delitias reſoluitur, ad laudes & adulationes hominum intumeſcit, ad leues etiam iniurias conturbatur, difficilis aditu, moroſus, aſper, & in reprehendendis uitijs amarulentus, ad omnem deniq; uitæ conſuetudinem incommodus. Non eſt igitur ad ſuggeſtum arceſſendus.

PARTES VI.

INuentio, elocutio, diſpoſitio, memoria & pronunciatio. Stude teipſum probatũ exhibere Deo, operarium non erubeſcendum, recte ſecantem ſermonem ueritatis. 2. Timo. 2. *Qui me audiebant, expectabant ſententiam, & intenti tacebant ad conſilium meum.* Verbis meis addere nihil audebãt, & ſuper illos ſtillabat eloquium meum. Expectabant me ſicut pluuiã, & os ſuum aperiebant quaſi ad imbrem ſerotinum, Iob 29. Præſto Dominus dedit mihi linguam eruditã, ut ſciam ſuſtentare eũ, qui laſſus eſt uerbo, Eſa. 50.

Præſto eſt corporis ſalubritas, laterũ firmitas, os uocale, lingua expedita, articulataq;, ingenium uelox & feruẽs, præſens animus, autoritas ac dignitas, quã uultu præ ſe fert, facundia, alios docendi facultas, animi ſynceritas, memoria fidelis, colligendi argutia, dicendi uis, naturalium rerum cognitio, utriuſq; teſtamenti ſcientia, ſummus igitur & perfectus eſt futurus Eccleſiaſtes. Ioannes Chryſoſt. *de Lazaro concione prima, Vt aquarum uenæ etiamſi nullus ueniat aquatum, manant tamẽ: & fontes quamuis hauriat nemo, tamen ſcatebras emittunt: & amnes etiamſi nemo*

bibat,

bibat, nihilò ſecùs fluunt: Sic oportet illũ qui cõdonatur, quamuis nullus auſcultet, tamen præſtare quicquid in ipſo ſitum eſt. His finitimum eſt illud Ieremiæ cap.26. Noli ſubtrahere uerbum ſi fortè audiant, & conuertãtur unuſquiſque à uia ſua mala: & pœniteat me mali quod cogito facere eis propter malitiam ſtudiorum eorum. Si in rebus ſecularibus nemo ſibi uiuit ſolus: ſicut opifex, miles, agricola, mercator, ad communem uſum proximorum etiam omnes conferunt: multò magis in ſpiritualibus id agendum cum omnibus, tum potiſſimum condonatoribus. Hoc enim ut cum maximè eſt uiuere, prodeſſe alijs. Nam qui ſibi uiuit, cæteros negligens, & uita eius ſuperuacanea eſt, & ipſe ſuperfluus, nec homo generis noſtri. Ideò ratione atq; oratione nos deus decorauit, mẽtẽ & ingenium conceſſit, manus, pedes, uires corporis dedit, ut his omnibus & nos, & proximos tueamur.

MATERIA VI.

ORacula diuina, Hieremiæ. 1. Ecce dedi uerba mea in ore tuo. Docẽtes eos ſeruare omnia quæcunque præcepi uobis, Matthæi ultimo. Væ filij deſertores dicit Dominus, ut faceretis conſiliũ, & nõ ex me, et ordiremini telã, et nõ per ſpiritũ meũ, qui ambulatis ut deſcẽdatis in Aegyptũ, et os meũ nõ interrogaſtis, Eſa. 30. Auguſti. in libello de paſtoribus: Cõſtituit mõtes Iſraël, autores ſcripturarũ diuitiarũ paſcite, ut ſecurè paſcatis: Quicquid inde audieritis, ibi hoc uobis bene ſapiat: quicqd extra eſt, reſpuite. Ne

erretis in nebula. Audite uocem paſtoris, Colligite uos ad montes ſcripturæ ſanctæ. Ibi ſunt delitiæ cordis ueſtri. Ibi nihil uenenoſum, nihil alienum. Vberrima paſcua ſunt. Vos tantùm ſanè uenite, ſanè paſcimini. Nolite audire uerba prophetarum, qui prophetant uobis & decipiunt uos, uiſionem cordis ſui loquuntur, non de ore domini, Hiere. 23. Chryſoſtomus homilia in Matth. 43. Sicut enim non poteſt fieri, ut ligna mittendo extinguas ignem: Sic non poteſt fieri, ut ueritatem dicendo places hominem malum.

FORMA.

Caeterùm etiamſi nos, aut angelus è cœlo prædicauerit uobis euangeliũ præter id quod prædicauimus uobis, anathema ſit. Eſto forma fidelium in ſermone, in conuerſatione, in dilectione, in ſpiritu & fide, in puritate, 1. Timot. 4. Acto. 20. Vos ſcitis à primo die, &c. Bonos nunquàm honeſtus ſermo deficiet, nunquàm rerum optimarum (nam ijdem etiam prudentes erunt) inuentio, quæ etiamſi lenocinijs deſtituta ſit, ſatis tamen natura ſua ornatur, nec quicquam non diſertè quod honeſtè dicitur. Auguſtinus lib. 4. doctri. Chriſtianæ, cap. 28. In ipſo etiam ſermone malit rebus placere quàm uerbis, nec exiſtimet dici melius niſi quod dicatur uerius: nec doctor uerbis ſeruiat, ſed uerba doctori. hoc eſt enim quod Apoſtolus ait: Non in ſapientia uerbi, ne euacuetur crux Chriſti. Et mox deinde: Sicut autem cuius pulchrum corpus, & deformis eſt animus, magis dolendus eſt, quàm ſi de-

*ſorme haberet corpus:ita qui eloquenter ea quæ fal-
ſa ſunt dicunt,magis miſerandi ſunt,quàm ſi talia de-
formiter dicerent.* Dicat *ſapienter quod non dicit elo-
quenter,potiùs quàm dicat eloquenter, quod non di-
cit ſapienter.* Neq; *enim unquàm per ſermonem adu-
lationis uerſati ſumus quemadmodum noſtis, nec per
occaſionem auaritiæ* (Deus *teſtis eſt*) *neque quærentes
ex hominibus gloriam,nec à uobis,nec ab alijs, cùm
poſſemus in autoritate eſſe tanquàm* Apoſtoli Chriſti,
1.Theſſa.2.

CONIVGATA VII.

Concio,concionator,concionarius,cõcionalis, cõ-
cionatorius,concionabundus,concionari,ἐκκλη-
σία,ἐκκλησιαστής,ἐκκλησιάζειν,Eccleſia,Eccleſia-
ſtes,Eccleſiaſticus. Euangelium, euangelicus, euange-
liſta,euangelizare. Opus perage euangeliſtæ,2. Thi.
4.*Diuinitùs doctus eſt.* Igitur *ad docendum diuina
idoneus eſt.Sed fruſtrà me colunt docentes doctrinas
præcepta hominum,*Matthæi *decimoquinto.Si eccle-
ſiaſtes eſt paſtor datus ſecundum cor domini , paſcet
igitur gregem dominicum ſcientia & intelligentia,*
Hieremiæ *tertio . Si de artificio nemo rectè iudicat,
niſi artifex: & quiſquam de* Eccleſiaſte *uere pronũ-
tiabit præterquàm* Eccleſiaſticus? Spiritualibus *ſpiri-
tualia comparantes.Animalis autem homo non acci-
pit ea quæ ſunt ſpiritus dei:ſtultitia ſiquidẽ illi ſunt,
nec poteſt cognoſcere,quod ſpiritualiter dijudicatur,*
1.Corinth.2.*Notum autem uobis facio fratres euan-*

gelium quod euangelizaui uobis, 1. Cor. 15. Si εὐαγ-*γέλιον. i. euangelium, Græcè ſonat bonum nunciũ, nihil aliud ſonabit* εὐαγγελίζειν, *id eſt, euangelizare, quàm bene nunciare. Euangelizare eſt bona adnunciare, pacemq́; Dei promulgare, iuxtà ac promittere uitam æternam per fidem in Chriſtum Ieſum. Euangelium igitur erit boni nuncij adnunciatio, pacisq́; Dei promulgatio, iuxtà ac promiſsio uitæ per fidem in Chriſtum Ieſum. Euangelium nihil eſt præterquàm bonum nuncium & pax Dei. Verum autẽ nuncium uerâq́; pax Dei ipſa eſt promiſsio uitæ æternæ per fidem in Chriſtum Ieſum. Verus ergo* εὐαγγελιςὴς, *id eſt, euangeliſta, eſt nunciator pacis, atque promiſſor uitæ æternæ per fidem in Chriſtum Ieſum. Euſebius Pamph. de præparatione Euangelij lib. 1. cap. item primo, Euangelium igitur dicimus quod æterna atq; incorruptibilia bona, quæ certè ſuprema & maxima ſunt, atque adeò ſummam felicitatem cunctis hominibus annunciat. Eſai. 52. Quàm pulchri ſuper montes pedes annunciantis & prædicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis ſalutem, dicentis, &c. Baſilius de ſpiritu ſancto, Proindè ſi quis definiens dicat, Euangelium eſſe formam uitæ, quæ eſt ex reſurrectione, mihi nequaquàm uideretur à uero aberrare. Hieronymus in Marcum, cap. 1.* εὐαγγέλιον *Græcè, Latinè bona annunciatio prædicatur, quod propriè ad regnum Dei, & remiſsionem pertinet peccatorum. Auguſtinus de fide*

& operibus, cap. 9. Hoc eſt euangelizare Chriſtum, non tantùm dicere quæ ſunt credenda de Chriſto, ſed etiam quæ obſeruanda ei qui accedat ad compagem Chriſti corporis. Vt unius rei plures ſunt fines: ſic idem quoq; perſæpe ad diuerſos refertur locos. Quod genus ſunt (ut alia tranſeam) poſteriora hæc, quæ non prorſus ineptè in locum à nomine rei adlegeris atq; cooptaris.

ADIACENTIA VIII.

QVemadmodum autem medici niſi quæ ſunt cuiuſq; corporis peculiaria ſagaciter animaduerterint, interdum pro remedio dant uenenum: quin & animorum naturam noſſe ſæpe medico neceſſarium eſt, quòd hinc aliquoties fluunt corpori morbi: Sic & ſpiritualis medicus concionator, ingenioru͂ peculiares affectus noſſe debet, quò commodiùs medicinam ſingulis accommodet non manu, ſed lingua. Timor & amor ſummi paſtoris, à quo reputat ſibi gregem eſſe commiſſum. Humanitas, comitas, affabilitas, induſtria, innocentia, temperantia, mundicies cordis, caſtitas corporis, ſanctitas morum, eruditio, ſapientia, ſed in primis eloquentia digna diuinis myſterijs, cœlibatus, lenitas, ſeueritas, ſobrietas, precatio, modeſtia, facundia, uigilantia, alacritas, ardor in docendo, delectando, mouendoq;, aßiduitas, ſynceritas, prudentia, uirtus, beneuolentia, inſtantia, religio, pietas, ſyncera fides, ſeraphica charitas, manſuetudo. Eodē pertinent & hæc; hoſpitalis, bonarum rerum ſtudio-

ſus,ſobrius,iuſtus,pius,temperans, mitis, laborioſus, fortis,conſtans,inuictus,pudicus,abſtemius,tenax eius qui ſecundum doctrinam eſt,fidelis ſermonis,ut potens ſit etiam exhortari per doctrinam ſanam, & contradicentes conuincere, ad Tit. 1. *cap. Sunt enim multi intractabiles,& uaniloqui,& mentium ſeductores,* Tit. 1. *Neminem enim habeo pari mecum animo præditum,qui germanè res ueſtras curaturus ſit,*Philip.2. *Oportet igitur epiſcopum irreprehenſibilem eſſe,unius uxoris maritum, uigilantem, ſobrium,modeſtum, hoſpitalem, aptum ad docendum, non uinolentum,non percuſſorem,non turpiter lucri cupidum,ſed æquum, alienum à pugnis,alienum ab auaritia,&c.*1.Tim.3.Ad Titum *cap.*1.*Seruiens domino cum omni animi humilitate,* Acto.20.2.Timot.2. *Porrò ſeruum domini non oportet pugnare, ſed placidum eſſe erga omneis, propenſum ad docēdum,tolerantem malos cum manſuetudine,erudientē eos qui obſiſtunt,ſi quando det illis* Deus *pœnitentiam ad agnoſcendam ueritatem,& reſipiſcant è diaboli laqueo capti ab eo,ad ipſius uoluntatem.*

ACTVS IX.

1.Petri.3. P*Aſcite quantum in uobis eſt gregem Chriſti,curam illius agentes non coactè,ſed uolentes: non turpiter affectantes lucrum,ſed propenſo animo:neque ceu dominium exercentes aduerſus cleros,ſed ut ſitis exemplaria gregis.Omnium conſcientias accuſare in genere,qui malè uiuunt:& omnium conſciē-*

tijs

tijs patrocinari,qui ſimpliciter errant,aut mœrent, aut oppreßi ſunt aliqua graui afflictione: & huc ſpectare,ut omnes pariter Deo *conciliet:docere,ut intelligat auditor:ſuadere,ut quod honeſtum & utile eſt,auditor uelit amplecti:timidis addere animũ, ut audeant aggredi quod probant.*Extimulare *ſolicitos,ut contemptis huius mundi præſidijs,tota fiducia ſeſe* Deo *committant:conſolari,ut huius uitæ moleſtias patienter,atq; etiam alacriter ferant:conſulere perplexis,quo ſibi parent conſcientiæ tranquillitatem:conſolari deſperatione periclitantes. Occulta arte & rationum argutijs ſic explicare omnia,ut multitudo ſentiat uerè dici potiùs quàm ingenioſè,hoc eſt,obſcura facere dilucida: inuoluta, explanatiora:moleſta,facilia.* Ad *pietatẽ inſtituere, ab errore reuocare,ad cœleſtium bonorum amorem inflammare.*Arguere *uitia, ſed doctrina præmiſſa, quæ ſubindicet eſſe nepharium quod reprehenditur,ſimul oſtenſa ratione qua poſſent corrigi ſcelera.Poſtremò reuocatis ab errore,cõmonſtrare quãtò rectius atque iucundius ſit per uiam uirtutis ambulare uſq; ad perfectionem.*In *omnem partẽ habere intentos oculos,ut non tantùm præſentibus medeatur malis,ſed procul imminentibus uitiorum periculis occurrat ſchiſmatum,hæreſeon, paganiſmi,* Iu*daiſmi.*Stare *ſuper cuſtodiam die ac nocte,ut ſi ſonuerit uox è Seyr*: Cuſtos *quid de nocte?* Cuſtos *quid de nocte?in promptu ſit quod reſpondeas.* Eſai.21.

Propagare Chriſti religionem,ſummi principis edi-
cta,promiſſa,ac uoluntatẽ exponere,ſuaderéq; pro-
miſcuæ multitudini. Apud concionem,hoc eſt, populũ
euocatum ad audiendum, de ſalutis negotijs uerba
facere,ut reſpub.ſit quieta ac tranquilla, eaq; tran-
quillitas impendatur non uoluptatibus ac luxui, ſed
Chriſtianæ pietati. Nulli negare ſui copiam, pariter
expoſitum eſſe omnibus,magnis & puſillis, bonis &
malis,ubiq; uenari lucrũ Chriſti,nihil habere in re-
bus externis eximium. In doctrina euangelica ſe Deo,
cuius negotium agit, præbere operarium probatum,
& ἀνεπαίσχυντον,hoc eſt, qui nec erubeſcat apud
omneis profiteri Chriſti philoſophiam, licet mundo
ſtultitia aut inſania uideatur: & adeò rectè tractare
ueritatem,ut ipſe ſuo uitio nullam inuidiam,aut igno-
miniã conciliet Euãgelio. Conari,ne dum uitat admo-
nitionis aſperitatẽ,incidat in adulationem,præſertim
apud præpotentes. Doctrina ſacra paſcere gregem
dominicum,eiq; diſpenſare theſaurũ Euangelicæ phi-
loſophiæ. Scripturæ myſteria prudenter ac ſyncori-
ter enarrare,ſaginare ac reficere populi corda, idq;
literis arcanis. Imbuere ſacramentis Eccleſiæ, docere
legem domini ac uiam ſalutis, reuocare ab errore ſi
quando tendunt ad inconſulta conſilia. Quamuis pu-
ſillum,& humilem gregem bona fide curare. Sic do-
cere,ut perſuadeas optima:ſic admonere,ut obtempe
ret;ſic increpare, ut non excandeſcens ira populus
ſe uertat ad deteriora: ſic in publico notare uitia

principum,

principum, ut populum non irrites ad ſeditionem ac rebellionem. Ex filijs gehennæ facere hæredes regni cœleſtis, addere animo robur aduerſus uim dæmonū, & homines inter ſeſe, & eoſdem conglutinatos Deo copulare. Animos ad bonam frugem conuertere, ducere magis quàm compellere. A mundi curis omnium animos ad cœleſtium amorem auocare. Efferos & agreſtes animos componere ad philoſophiam Euangelicam ac diſciplinam Eccleſiæ, inuiſere ægrotos, increpare delinquentes, extimulare ceſſantes, conſolari afflictos, erigere puſillanimes, opitulari oppreſſis, diſsidentes redigere in concordiam, adeſſe morientibus, uitam omnibus impendere. Ardentibus aſsiduiſq; uotis flagitare à Chriſto, ut operarios dignetur mittere in meſſem ſuam, aut (ut melius dicam) ſeminatores mittere in ſegetem ſuam. E ſacro ſuggeſtu cœleſtem docere philoſophiam. Docere, quæ ſit uis & natura religionis. Hortari ſimul ad fidem, ſimul ad bona opera, & bonos mores. Non reſpicere perſonas hominū. Loqui euangelion Dei in multa ſolicitudine, 1. Theſſa. 2. Errorem redarguere, hæreſim profligare depellereq;, auertere ab errore, deducere, leuare, exoluere. Iacere ſemen bonum, reuellere zizania, plantare plantulas bonas, malas extirpare, extruere domum Dei, demoliri ſtructuras non innitentes petræ Chriſto, metere maturam ſegetem, ſed Chriſto metere non ſibi, animas domino colligere, nō opes ſibi. Sed omnia ſufferimus, ne quod offendiculum

 demus

*demus euangelio Chriſti.*1.*Corint.*9. *Lupos irruentes in ouile dominicum abſterrere, furem abigere ac prodere.* E *penu ſcripturarum quotidie depromere eſcas doctrinæ ſalutaris, quibus ſaginantur ac uegetantur animæ: proferre uinum ſpirituale, quod uerè exhilarat cor: proferre medicinã, qua ſanantur morbi mentium uerè letales: proferre antidota aduerſus uetuſti ſerpentis uenenum efficacia.* Euangelio *uitam impendere.* Perſuadere *ſingulis & uniuerſis qui in* Chriſto *collocarunt fiduciam, per eum gratis condonari peccata uitæ ſuperioris omnia: uocari inſuper ad hæreditatem uitæ cœleſtis cum* Chriſto, *modò per illum reſuſcitati poſthac ambulent in nouitate uitæ.* Loqui *apud multitudinem, non hominum fabulas, ſed præcepta* Dei, *populiq; ſequeſtrum ac patronum agere apud dominum Sabaoth: blandiri, minitari, lingua numeroſam multitudinem moderari, nihil afferre niſi ex autoritate domini, omnibus animi ornamentis longè uulgus antecedere.* Alijs *aliter adhibere ſermonem diuinum, q̃ plurimis prodeſſe, ſuſtẽtare laſſum, uenienti morbo occurrere, infirmum in fide ſuſcipere, infantes fouere lacte, eum qui occupatus eſt delicto, reſtituere in gradum ſpiritu lenitatis.* Non *cauponari, ſed ſyncerè tractare uerbum dei.* Cum *alacritate & gaudio paſcere gregem domini, & ex abundantia charitatis multa inſuper erogare, ad quæ non adigit neceſſitas.* Non *afferre ſlateras doloſas, præter ea quæ dominus mandauit, aut*

certè

certè eccleſia catholica ordinauit, nihil docere populum, ubiq; ſyncero corde ad illius gloriã, & gregis commoditatem ſpectare. Ad præſentem cauſam dextrè accommodare ſcripturarum teſtimonia, ſapiẽter aperire allegoriæ nubilum, ubi litera parũ habet momẽti ad pietatem. Alacriter ac inſtanter, idq́; non mercedis amore, ſed charitatis impulſu in hoc pro uirili incumbere, ut quamplurimos ad Chriſtũ uel alliciat blandiens & conſolans, uel impellat territans & arguens, uel adducat erudiens, lucro domini non minùs gaudere quàm ſuo priuato. Docere indociles, laborare ingratis, canere ſurdis, benefacere maleuolis. Seminare bonum ſemen, quanquàm ſciamus non prouenturum in omnium cordibus, domini talenta diſpenſare, augere uſuram domini. Gregi dominico diſpenſare uerbum Dei, diuinæ uoluntatis apud populum agere præconem, ac cæleſtis philoſophiæ diſpenſatorem. Auguſtinus lib. 4. de doctrina cap. 13. Debet igitur diuinarum ſcripturarum tractator & doctor, defenſor rectæ fidei, & debellator erroris, & bona docere, & mala dedocere, atque in hoc opere ſermonis conciliare auerſos, remiſſos erigere, neſciẽtibus quid agatur, quid expectare debeant, intimare, & quæ ſequuntur. Hieronymus in cõmentarijs in Eccleſiaſten, cap. 10. Nunc è contrario accuſat eos qui loquũtur quidem in eccleſia, & docent populos, ſed ea docent quæ populum audire delectet, quòd peccatores palpent in uitio, & ſtrepitus

concitent

conatent audientium. Nónne quando in eccleſia laſcı=
uit orator, & beatitudinem, & regna cœlorum mul=
titudini pollicetur, uidetur tibi in riſu facere panem, &
uinum ad lætitiam miſcuit uiuentium? Siue quòd ipſi
qui docent, diuitias & cibos, & opes per delectabi=
lia promiſſa conquirant: ſiue quòd eccleſiæ panem,
qui panis lugentium eſt, et non ridentiũ (Beati quip=
pe lugentes, quoniam ipſi ridebunt) in lætitia gaudi=
oq; conficiant. Omnes quæ ſua ipſorum ſunt quærunt,
non quæ Ieſu Chriſti, Philip. 2. Quiſquis autem fece=
rit & docuerit, hic magnus uocabitur in regno cœ=
lorum, Matth. 5. Dicunt enim & non faciunt, Matth.
23. Vos ſcitis à primo die quo ingreſſus ſum, quomo=
do uobiſcum per omne tempus fuerim, ſeruiens do=
mino cum omni animi humilitate, cúmque multis la=
chrymis & tentationibus, & quæ ſequuntur in fi=
nem uſq;, Act. 29. Matth. 10. Infirmos curate, lepro=
ſos mundate, mortuos ſuſcitate, dæmones eijcite: gra=
tuitò accepiſtis, gratuitò date. Cùm autem pertrãſiret
ciuitates, tradebat eis ſeruanda decreta, quæ erant
ordinata ab Apoſtolis & preſbyteris, qui erant Ie-
roſolymæ, Act. 16. Chryſoſt. Homel. 45. in Matthæi
cap. 23. Sicut non omnes qui dominum adorant, domi=
ni ſunt, ſed qui faciunt domini uoluntatem: Sic non o=
mnes qui in locis ſuis prædicant Apoſtolos, & pro=
phetas, & martyres, iam per hoc ſunt cultores eorũ;
ſed qui opera eorum imitantur, & fidem ſequuntur.

SVBIECTVM X.

Hieronymus lib.1.comment.in Epiſtolam ad Gal. cap.1. Nec putemus in uerbis ſcripturarum eſſe Euangelium, ſed in ſenſu: non in ſuperficie, ſed in medulla: non in ſermonum folijs, ſed in radice rationis, & quæ ſequuntur. Ne neglexeris quod in te eſt donum, quod datum eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum autoritate ſacerdotij, 1. Timothe. 4. 2.item. Tim.1. Renuncians quòd Deus reuerà in nobis ſit. 1. Corinth. 14. Non coques hœdum in lacte matris ſuæ. Deut.14. Lingua ſapientis ſanitas. Prou. 12. Mors & uita in manibus (ſiue poteſtate) linguæ. Prouer.18. Fili mi in manſuetudine opera perfice, et ſuper hominum gloriam diligeris. Primùm cauete uobis ipſis à fermento phariſæorum, quod eſt hypocriſis, Lucæ 12. Eccleſiaſtæ 12. Verba ſapientium ut ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi. Hieronymus in eum locum, Simul & hoc notandum, quòd dicantur uerba ſapientium pungere non palpare, aut molli manu attrahere laſciuiã, ſed errantibus, &, ut ſuprà diximus, tardis pœnitentiæ dolores, & uulnus infigere. Si cuius igitur ſermo non pungit, ſed oblectationem facit audientibus, iſte non eſt ſermo ſapientis. Verba quippe ſapientium, ut ſtimuli, &c. Micheæ 3. Veruntamen ego repletus ſum fortitudine ſpiritus domini iudicio & uirtute, ut annunciem Iacob ſcelus ſuum, & Iſraël peccatum ſuum. Nulla enim in re inferior fui ſummis Apoſtolis, tametſi nihil ſum.

ſum. *Signa quidem Apoſtoli peracta fuerunt inter nos cum omni patientia, & ſignis & prodigijs, & potentibus factis.* 2. Corint. 12. *Quam ob cauſam cōmonefacio te, ut ſuſcites donum Dei, quod eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* 2. Timothe. 1. *Sermo Chriſti inhabitet in uobis opulentè cum omni ſapientia.* Coloſſ. 3. *Hieronymus in octauum Ieremiæ cap. Radix eſt enim omnium malorum auaritia. A propheta uſq; ad ſacerdotem, qui alios peccantes prohibere deberent, primi ſceleribus ſubiacent: & cuncti uel iniqua faciunt, dum aliena diripiunt: uel certè mendacium, ut non ſit ueritas in ore eorum.* Chryſoſt. Homil. 37. *in cap. Matth.* 21. *Sicut ſtomacho miniſtrante, unumquodq; membrū ſuſcipit nutrimentum, & conuertit ipſum in ſe ſecundum ſuam naturam: utputà quod ſuſcipit iecur, totū fit ſanguis: quod autem ſuſcipit fel, bilis efficitur totum: quod uerò in pulmonem, phlegmata fiunt: quod autem in mammillas, totum efficitur lac: Ita ſacerdotibus in eccleſia loquentibus, uerbum omnes ſuſcipiunt, unuſquisq; conuertit illud ſecundum cor ſuum: ita ut unum idipſum uerbum in cordibus quidem rectis procedat ad uitam: in cordibus autem peruerſis, ſuſcitet iracundiā quaſi bilis: in alijs autem operetur dilectionem dulciſsimam, quaſi lac: in alijs autem odium, quaſi phlegma nocium & expuendum.*

EFFICIENS XI.

CHryſoſtomus in Pſalmũ, Credidi propter quod loquutus ſum, Quemadmodum apiculæ leuibus pennis arborum & herbarum floribus inſidunt, latẽtemq; in floſculis liquorculum innocua depredatione auehunt, ut tandem dulciſſimos mellis fauos inde confectos hominibus præſtent: Ita & eccleſiæ doctores ſuper amœna, uernantiaq; ſcripturarum uiridaria leui mentis ala reſident: & inſitum literæ ſuccum ſpiritus haurientes, ſoliciti ſunt ut dulciſſimum mellis fidei auditorum cordibus placidè inſtillent. Dabo uobis paſtores ſecundum cor meum, & paſcent uos ſcientia, & intelligentia, Hiere. 3. Et miſit dominus manum ſuam, & tetigit os meum. Et dixit dominus ad me, Ecce dedi uerba mea in ore tuo, ecce ego conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna, ut euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes, Hiere. primo. Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut ſciam ſuſtentare eum, qui laſſus eſt uerbo, Eſaiæ. 50. DOMINVS dabit uerbum euangelizantibus uirtute multa ſiue plurima, Pſalmo. 67. Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſraël, & audies ex ore meo uerbum, & annunciabis eis ex me, Ezechiæ. 33. Aures autem perfeciſti mihi, tunc dixi, ecce uenio, Pſalmo. 39. Erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam quaſi magiſtrum, Eſaiæ. 50. Filij Syon exultate & lætamini in domi-

no deo ueſtro, quia dedit uobis doctorem iuſtitiæ, & deſcendere faciet ad uos hymbrem matutinum ac ſerotinum in principio, & implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia uino & oleo, Ioannis 2. Et *Ieruſalem euangeliſtam dabo, Eſa. 41.* Ego *plantaui, Apollo rigauit, ſed* Deus *dedit incrementũ. Itaque neq; qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui dat incrementum, Deus, primæ Corinthiorũ tertio. Spiritus cœleſtis, cuius afflatu loquitur* Eccle*ſiaſtes.* Lingu*a concionatoris, ſed ea efficax eſſe non poteſt, niſi* Chriſti *ſpiritus inhabitans cor eius moueat, oris plectrum, & uim arcanam uerbis promanantibus addat.* Vox *concionantis aures audientium ferire poteſt, ſolus autem* Deus *eſt qui ſecreto afflatu mentes transformat. Suam tamen operam fidelis præſtat* Eccleſiaſtes, *plantans ac rigans, à* Chriſti *ſpiritu poſtulans ut det incrementum.* Ille *uos docebit omnia, & ſuggeret uobis omnia, quæcunq; dixi uobis, Ioãnis decimoquarto.* Vt *ſapiens architectus fundamentũ poſui, alius autem ſuper illud ædificat, 1. Corinthio. 3.* Illi *uerò egreßi prædicauerunt ubique domino cooperante, & ſermonem confirmante per ſigna ſubſequentia, Marci ultimo.* Et *idem dedit alios quidem Apoſtolos, alios uerò Prophetas, alios autem Euãgeliſtas, alios autem paſtores ac doctores ad inſtaurationem ſanctorum, in opus adminiſtrationis, in ædificationem corporis* Chriſti, *Epheſeos quarto.* Et *alios quidem poſuit* Deus *in* Eccleſia, *primùm Apoſtolos,*

ſtolos, deindè Prophetas, tertiò doctores, primæ Corinthiorũ duodecimo. Chryſoſtomus Homilia uigeſima in Caput Matthæi ſeptimum, Sicut nubes baiulant pluuiam, & effundunt eam ſuper terram: Ita & prophetæ, & Apoſtoli accipiunt uerba à Deo, & effundunt ſuper rationalem creaturam. Chryſoſtomus Homilia de ſancto ac adorando Spiritu, Da mihi nauim uacuam, gubernatorem, nautas, funes, ancoras, omnia diſpoſita, & nuſquàm eſſe ſpiritum uenti, nónne tardat omnis quantuſcunque eſt apparatus, ſi deſit operatio ſpiritus? Ita fieri ſolet, licet ſit ſermonis ampla ſuppellex, & mens profunda, & eloquentia, & intelligentia, & non adſit SPIRITVS SANCTVS qui uim ſuppeditet, ocioſa ſunt omnia. Dabo uobis os & ſapientiam, cui non poterunt contradicere, neque reſiſtere omnes qui aduerſabuntur uobis, Lucæ uigeſimoprimo. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliauit ſibi per CHRISTVM, & dedit nobis miniſterium reconciliationis, ſecundæ Corinthios quinto. Sequimini me, & faciam uos piſcatores hominum, Matthæi quarto. Ecce mitto piſcatores multos, & piſcabuntur eos, Hieremiæ decimoſexto. Chryſoſt. Homi. quinquageſimaſexta, Mel de petra ſugunt, non quale ſylueſtres quæpiam apes floribus inſidentes colligunt. Neq; rorẽ maturãtes aluearibus immittũt, ſed ſpiritus ſancti gratia conſtruentes pro fauis & aluearibus & fiſtulis, in ſanctorum animis reponunt. Has apes imitã-

tes,

tes,ſanctorum uoluminum fauos circumuolamus,magnam hinc decerpentes uoluptatem.

FINIS XII.

VT *impius conuertatur ad pœnitentiam,& iuſtus retineatur in iuſtitia,*Ezechiæ *tertio* . Si *dicente me ad impium,&c.*Vt *è ſcripturarum oraculis,domini uoluntatem annunciet populo* . Vt *cũ* Paulus *ſtudeat honorificare miniſterium ſuum, non ut ipſe ſibi gloriam pariat apud homines , ſed ut* Chriſtus *diteſcat lucro animarum ,& in famulorum ſuorum ſanctis moribus glorificetur* Deus. Vt *uerbo uitæ,qui non ſunt,gignatur deo.*Vt *infantes in* Chriſto *lacte alat, donec grandeſcant fiantq; ſolidi cibi capaces , donec corroborentur aduerſus huius uitæ mala,donec erigantur ad ſpem uitæ cœleſtis.*Vt *populo non uno, ſed pluribus morbis laboranti uerbo medeatur,ut labantem fulciat,ut exanimem,ac ſenſu quoq; mali carentem in uitam reuocet.* Vt *integer ſit homo dei,ad omne opus bonum apparatus , ut in nobis gignatur* Chriſtus,*ut adoleſcat, ut retineatur, ut conſumetur,quæ uera perfectaq; hominis eſt felicitas,ut omnes pariter* Deo *conciliet* . Vt *nullus ab eccleſiaſtæ concione diſcedat,niſi purior,bonus per infirmitatem prolepſis,blandis monitis, leniq; correptione medeatur,inſanabiles fideli latratu ſubmoueat.*Auguſtinus *lib.de catechizandis rudibus, cap.* 4.*Hac ergo dilectione tibi tanquàm fine propoſito, quò referas omnia quæ dicis , quicquid narras, ita*

narra,

narra, ut ille cui loqueris, audiendo credat, credendo ſperet, ſperando amet. Auguſtinus lib. 4. *doctrinæ Chriſtianæ cap.* 13. *Oportet igitur eloquentem eccleſiaſticum quando ſuadet aliquid quod agendum eſt, non ſolùm docere ut inſtruat, & delectare, ut teneat, uerumetiam flectere ut uincat.* Auguſtinus *lib.* 4. *de doctrina Chriſtiana:* Vt *intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiatur, & hoc ſe poſſe magis pietate orationum, quàm oratoris facultate non dubitet, ut orando pro ſe ac pro illis quos eſt allocuturus, ſit priùs orator antequàm doctor.* Et *in ipſa hora accedens, priuſquàm exerat profrentem linguã, ad* Deũ *leuet animam ſitientem, ut eructet quod biberit, uel quod impleuerit fundat: hæc ille.* Quò *cibus ille* Euãgelicæ *doctrinæ cum plena fiducia ſumptus traijciatur in animi uiſcera, & in habitum ac robur ſpiritus trãſeat.* Quò *quamplurimæ animæ deſpondeãtur* Chriſto. Quò *in ſingulorum animis ſit tranquillitas, conſopitis aut refrenatis huius mũdi cupiditatibus.* Quò *cuiq; pax ſit cum deo.* Quò *pro ſorte credita domino fœneratori lucrũ afferat.* Quò *teneris rudibús ue animis inſtillet ſemina* Chriſtianæ *pietatis.* Quò *ſermo* Dei *currat.* 2. Theſſa. 3. Vt *currat* Euángelium, *hoc eſt, celeriter ac latè diuagetur* Chriſtiana *pietas.* Quò *refloreſcat in populo uigor* Euangelicus. Quò *commodo gregis nihil habeat antiquius.* Quò *nec fauoribus, nec odijs, nec metu, nec ſpe rerum humanarũ à recto mentis iudicio depelli poßit.* Quò *ſepoſitis*

humanis affectibus, ingenti religione ac ſynceritate reſpōdeat muneris amplitudini. Quò *quod in ſcripturis opertum eſt, commoda interpretatione ſic expliacet, ut rudibus etiam fiat perſpicuum, quò uidelicet ſublato uelamine, quod poſitū fuerat ſuper faciem* Moyſi, *qui in Chriſtum credunt, retecta facie gloriam domini ſpeculentur.* Sed in Eccleſia *uolo quinq; uerba mente mea loqui, ut & alios inſtituam, potius quàm decem milia uerborum in lingua,* 1.Cor.14. Eos *qui peccant coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant,* 1.Tim.3.*Neq; turpis lucri gratia,* 1. Pet.5. Spectare *perſonam non eſt bonum.* Nam *& propter fruſtum panis illi peccant,* Prouer.28. Quò *uitæ ſanctimonia delegatam functionem commendabilē reddat.* Rom.11. *Vobis enim dico gentibus, quatenus ſum gentium* A*poſtolus, miniſterium honorifico, ſi quo modo ad æmulandum prouocem carnem meam, & ſaluos faciam aliquos ex illis.* A*ctor hoc agit ut quæ facit, populo ſint gratiſſima applauſu, aliter ſibilis deijcitur:* Sic *eccleſiaſtes huc ſpectat, ut quæ per ſe ſunt optima, ea populo fiant gratiſſima.* Hieronymus *in comment.* Malachiæ *prophetæ cap.*1. Doctor Eccleſiæ *qui ſpiritualem conficit panem, & eum populis diuidit, ſi uel propter humanam gloriam, uel lucra ſeculi, quæ gloriam conſequuntur, loquatur in populis, & diuitibus blandiatur, & honoret peccatores, & iuxta* Iacobum *ſuſcipiat eos qui cum anulis aureis ad ſe ueniunt, & pauperes ſanctos repellat, nomen* Dei

deſpiciat

deſpicit, & panem polluit doctrinarum, & in ipſum Deum *iacit contumelias, menſam ſcripturarum, eius menſis idolorum ſæcularisq; doctrinæ putans eſſe communem.* Auguſtinus *de ciuitate Dei libro 19. capite 19. In actione uerò non amandus eſt honor in hac uita ſiue potentia, quoniam omnia uana ſub ſole, ſed opus ipſum quod per eundem honorem, uel potentiam fit, ſi rectè atq; utiliter fit, id eſt, ut ualeat ad eam ſalutem ſubditorum, quæ ſecundum* Deum *eſt, unde iam ſuperiùs diſputauimus.* Propter *quod ait* Apoſtolus: *Qui epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.* Exponere *uoluit quid ſit epiſcopatus, quia nomen eſt operis, non honoris.* Omnia *uerò opera ſua faciunt in hoc, ut ſpectentur ab hominibus,* Matthæi 23. Vide *miniſterium quod accepiſti in domino, ut illud impleas,* Coloſſen. 4. *Neque uita mea chara eſt mihi ipſi, ut conſummem curſum meũ cum gaudio, & miniſterium quod accepi à domino* IESV, *ad teſtificandum euangelium gratiæ* Dei, Acto. 20. Fur *non uenit, niſi ut furetur, & mactet, & perdat.* Ego *ueni ut uitam habeam, & abundantiùs habeant,* Ioannis *decimo.*

EFFECTA XIII.

VBi *non ſunt boues, præſepe uacuum eſt. Sed multi prouentus obueniunt per robuſtum bouem.* Nam *etiam ſi innumeros pædagogos habeatis in* Chriſto, *non multos tamen habetis patres. Siquidem in* Chriſto Ieſu *per euangelium uos genui,* 1. Corint. Prouer. 14.

rint. 4. Ad Petri piſcatoris extemporariam, & illaboratam concionem ardter tria milia hominum eodem die conuerſa ſunt ad Euangelicam fidem. Et quiſq; poſthac dubitabit omnia tentanti, nihil ei ſucceſſurum? Amabile Chriſti obſequium, fideiq; regnũ propagatum. Animæ à ſatanæ tyrannide ereptæ, & redemptori uindicatæ. Auditores inſtructi literis, afflati ſpiritu, fide ſtabiles, charitate feruentes, ſobrijq; redditi. Animus ab omni rerũ humanarum cupiditate liber, perpetua uitæ ſobrietas, ſtudium gratis bene merendi de omnibus, patientia nullis iniurijs labefactabilis, perpetua ſpiritus alacritas in afflictionibus, modeſtia comis, nihil præ ſe ferens ſuperalij. Tranquillitas animi, cœleſtis gratia, lachrymæ, preces, uita inculpata. Felix uerbi Dei prouentus. Copioſus ſegetis euangelicæ fructus. Labores ob euangeliũ propagandum tolerati. Domiti affectus, zizania uerſa in generoſum domini triticum, arcana ſpiritus energia, uitæ reſtituti mortui, ad unam aut alteram Euangeliſtæ concionem, milia aliquot transformata in nouam creaturam. Reuulſæ ab inimicis auditorum prauarũ opinionum radices, malaq; dogmatum impiorum ſemina, unde pullulant fructus acerbi, ac malo fundamento ſuperſtructum ædificium demolitum, zizania enata diſſipata, ſtructura malè cœpta diſperſa, proq; reuulſis & dirutis inſerta bona plantatio, & ſtructura erecta nulli ceſſura tempeſtati. Spiritualis Hieroſolyma ædificata in mentibus hominum. Verbum

*Dei longè lateq́;,atq; id quidem ſyncerè diſſeminatum.*Hæreſes *ſublatæ,prauæ conſuetudines abolitæ, adauctus cultus eccleſiaſticus, profligata ſuperſtitio, pietas propagata,externa miſericordiæ opera, æditæ conciones, peccator conuerſus ad reſipiſcentiam, iugulatus uetus* Adam *cum actibus ſuis,regenerati uerbo uitæ.*Cœleſtium *bonorum amor, terrenarum rerū contemptus per uerbum* Dei,*ex filio iræ factus filius dilectionis, hæres uitæ æternæ .* Verbis *meis addere nihil audebant,& ſuper illos ſtillabat eloquium meum.*Expectabant *me ſicut pluuiam,& os ſuum aperiebant quaſi ad imbrem ſerotinum,*Iob. 29. A *fructibus ipſorum agnoſcetis eos,* Matth. 7. Filij *ſubditi cum omni caſtitate.*1.Timoth.3.2.Timoth.4. Certa*men bonum decertaui,curſum conſummaui,fidem ſeruaui,quod ſupereſt,repoſita eſt mihi iuſtitiæ corona.* Hieronymus *in epiſtola ad* Nepotianum: Docente *in eccleſia te,non clamor populi,ſed gemitus ſuſcitetur.* Lachrymæ *auditorum laudes tuæ ſint.*Idem *in commentarijs ſuper* Eſaiā:Ille *doctor* Eccleſiaſticus *qui lachrymas,non riſum mouet,qui corripit peccatores, qui nullum beatum, nullum dicit eſſe fœlicem.* Ioſias *rex* Iuda *ubi primùm ſibi recitatus fuit liber legis, abſtulit eccleſia,& omnia diuino præcepto contraria ademit,*4.Reg.23. Ecce,*docuiſti multos, & manus laſſas roboraſti.*Vacillantes *confirmauerunt ſermones tui , & genua trementia confortaſti,* Iob.4. Quoniam Euangelium *noſtrum fuit erga uos nō per*

ſermonem ſolùm, uerumetiam per uirtutem, & per ſpiritum ſanctum, perq; certitudinem multam, quemadmodum noſtis quales fuimus inter uos ueſtra cauſa, 1.Theſſalon.1. *Quapropter & nos gratias agimus* Deo *indeſinenter, quod cum acciperetis ſermonem à nobis, quo* Deum *diſcebatis, accepiſtis non ſermonem hominum, ſed, ſicut erat uerè, ſermonem* Dei, *qui & agit in nobis credentibus,* 1.Theſſalon.2. 1. Theſſalon.1.Et *uos imitatores noſtri facti fuiſtis, & domini recipientes ſermonem cum afflictione multà, cum gaudio ſpiritus ſancti: adeò ut fueritis exemplo omnibus credentibus in* Macedonia & Achaïa.Chryſoſto.Homil.36.*in cap.*Matth.20. *Teſtimonium ſtudioſi agricolæ, eſt meßis fœcunda: aßidui autem doctoris documentum,* Eccleſia *plena.*

DESTINATA XIIII.

STude *teipſum probatum exhibere* Deo, *operarium non erubeſcendum, rectè ſecantem ſermonem ueritatis,* 2.Timo.2.1. Timo. 4. Donec uenero, *attende lectioni, exhortationi, doctrinæ*. Attende *tibi ipſi, & doctrinæ.*Perſiſte *in his.*Nam *ſi id feceris, teipſum ſeruabis, & eos qui te audierũt.*Vt *in ſuggeſto in promptu habeat ſplendidã, aptã, ſignificantẽ ac paratam uerborum copiam.*Vt *linguam poliat, unde ceu theſauro diues paterfamiliâs proferat noua & uetera, uidelicet inſtructus utriuſq; teſtamenti libris.* Per *omnẽ uitam ſummis uigilijs, ac laboribus parare, quo populum reddat meliorem.*Omnia *quæ obtinendæ*

nendæ adornandæq́; functionis Eccleſiaſticæ cauſa parauit. Quòd genus ſunt peregrinationes pro impetranda ſacrarum literarum cognitione gnauiter exantlatæ, uitæ integritas, bona fama, exiſtimatio, & populare teſtimoniū. Etſi omniū ſuffragijs approbari, hactenus nulli mortalium contigit, Eccleſiaſtæ tamen quatenus licet enitendum, ut omnibus per omnia placeat, bonumq́; teſtimoniū ſibi comparet, etiā apud illos qui foris ſunt. Prudentiam ſerpentinam cum ſimplicitate columbina coniunctam meditari. Vt ipſa ſcriptura meditatione diuturna in naturam uertatur. Hieronymus in comment. epiſtolæ ad Epheſios, Omni ſtudio legendæ nobis ſcripturæ ſunt, & in lege domini meditandum die ac nocte, ut probati trapezitæ, ſciamus quis nummus probus ſit, quis adulterinus. Hieronymus in Aggeum capite 2. Saltem illud habeant, ut poſtquàm ſacerdotes fuerint ordinati, diſcant legem Dei, ut poßint docere quod didicerint, & augeant ſcientiam magis quàm opes, & non erubeſcant à laicis diſcere, qui nouerint ea quæ ad officium pertinent ſacerdotum, magiſq́; noctes, & dies in ſcripturarū tractatu, quàm in ratiocinijs, & ſupputatione conſumant. Abac. 2. Super cuſtodiam meam ſtabo, & figam gradum ſuper munitionem, & contemplabor, ut uideam quid dicatur mihi, & quid reſpondeam ad arguentem me. Pennas columbæ apparare meditariq́; ut ſpiritu ſubuolet ad cœleſtia., atq́; eôdem cæteros ſubuehat. Quia tu ſcientiam repuliſti,

*repellam te,ne ſacerdotio fungaris mihi,*Oſe.4. *Dare operam,ut in ſuggeſto abſit omnis ſubtilitatis oſtentatio,& rem ipſam quantùm fieri poteſt,dilucidè,breuiter , & expeditè proponere multitudini.* Vt *ſummam ſimplicitatem cum pari prudentia coniungat.*Illud *totis uiribus agitare, ut adſit rectũ iudicium , ne per ignorantiam praua ſuadeat pro rectis,ut adſit probitas,ut ſciens nolit fallere auditorẽ; ut adſit beneuolentia , ne ſciens ac prudens ſuadeat perniciosa,ſed & amicis,& inimicis bene uelit.*Illud *etiam ſtudio erit* Eccleſiaſtæ,*primùm ne quid horũ abſit: deinde ut populus intelligat ipſum ea ſapientia eruditum,ut non fallatur iudicio:prætereà meliorem eſſe uirum,quàm ut quenquam ſciens uelit fallere.*Poſtremò *tantæ charitatis,ut inimicis quoq; cupiat prodeſſe.Sicut paſtor gregem ſuum paſcet , in brachio ſuo congregabit agnos , & in ſinu leuabit, fœtas ipſe portabit,*Eſa.40.Eniti *ut habeat cor purum ab omnibus terrenis cupiditatibus,animum ſitientem lucrum,& honorem domini* Ieſu,*ſpiritum aduerſus omnia terriculamenta intrepidum, linguam eruditam,pectus cœleſtis doctrinæ theſauro confertum,ut totus undiq; myſtico* Aaronis *ornatu ſit inſtructus.*In *hoc mortificare carnem ſuam cum uitijs & concupiſcentijs:in hoc pijs ſtudijs colligere robur ſpiritus:in hoc inſtruere pectus ſuum ſalutifera doctrina , ut citra reprehenſionem annunciet populo ueritatem,ac legem euangelicam.*Pro *tam ardua , tã*

magnifica,

magnifica,tam plauſibili ſuſcipienda legatione ſe cō-ponere,& omnem ſolicitudinem aduocare, ut bona fide,ut decenter,ut fèliciter delegatum munus obeat. Ne committat etiam ut ſuis moribus,& ſibi fidē ab-roget,& functionem dedecoret,& legantis iram in ſe prouocet, & Chriſto ſuum lucrum interuertat. Quod ſi filij huius ſeculi tam uigilanter,ac prudē-ter inſtituunt ſuos ad uulgares,ac ſordidas functio-nes,& ſi populari ſibilo exploditur,qui ad has ſeſe ingerat imperitus,quanta cura oportet ad conciona-torium munus,ut pulcherrimum,ita difficillimū præ-parari? 1.Eſd.7.Eſdras autem parauit cor ſuum, ut inueſtigaret legem domini, & faceret, & doceret in Iſraël præceptum & iudicium. Quotidie uigilare ad fores arcanæ ſapientiæ,ut dominus dignetur illius arrigere aurem,ut ipſum audiat quaſi magiſtrum cū tremore,cum attentione,cum obedientia. Non ſatis erit animum ſapientem ad condiendam populi ſtul-titiam,cor habere prudens et oculatum,ut facilè di-ſpiciat,quid ſilendum,quid dicendum,& apud quos, quo tempore,quomodò ſit temperanda oratio. Niſi cum Paulo ſciat mutare uocem ſuam, & omnia fieri omnibus,utcunq; uiderit ſaluti auditorum expedire. Ad id eluctari,ut ſit aduerſus omnem inanem gloriā pauper ſpiritu,non hîc uenans laudem ab homini-bus,ſed contentus illo præmio,quod dominus talium pronuntiauit eſſe regnum cœlorum.Id unum elabo-rare,ut ſit aduerſus omnes improborum iniurias mi-tis,nō

tis,non huius mundi ſpectans emolumenta,ſed omnibus neglectis properans ad id mercedis,quod talibus pollicetur Chriſtus, affirmans fore, ut poßideant terram,non hanc quam habemus cum pecudibus & ſerpentibus cõmunem,ſed ſolidam illam nec ullius mutationis capacem,beatam immortalitatem. Sic *fiduciam omnem collocare in domino, ut nec mundum metuat, nec ſatanam formidet, nec mortem horreat ob* Euan*gelium intentatam,ſi modò id ſyncera conſcietia præ*dicet.In id plurimùm laboris exantlare, quò cor ha*beat mundum,purum ab amore diuitiarum,purum à ſiti gloriæ mundanæ,purum ab ambitione, cæteriſq; cupiditatibus.Summa ope,ſummáq; ui in hoc incumbere,ut adſit ſacrorum uoluminum recondita intelligentia, multa ſcripturarum exercitatio, uaria doctorum lectio,iudicium ſanum, prudentia non uulgaris, ſyncerus fortiſq; animus,præcepta uſuſq; dicendi, & parata linguæ copia qua dicendum eſt apud multitudinem, & ſtudium quo totus ad hoc inuigilat, ut cor orationis fontem quàmpurgatißimũ reddat.* Hie*ronymus lib.*1.*comment.in* Ezechi. Qui *ſpeculator* Dei *futurus eſt,multo tempore debet quieſcere, & dolere quod uidet ſe habere in conſcientia, quod in alijs correpturus eſt.Chriſtus prædicandi munus non niſi baptizatus,& columbæ ſigno patriſq; uoce cõmendatus,poſtremò non niſi quadragenario ieiunio, & ſatanæ tentatione ſpectatus, & exploratus aggreſſus eſt.*Hiere.23.Non mittebam prophetas, &

ipſi

*ipſi currebant:non loquebar ad eos,& ipſi prophe=tabant.*Non *ſolùm inniti ſpiritui ſancto,ſed etiã ſtu=dio ſacræ ſcripturæ.*Auguſt.lib. 4.doct. Chriſtianæ cap.16.*Quas tres epiſtolas* Apoſtolicas,*ita ante o=culos habere debet,cui eſt in eccleſia perſona docto=ris impoſita.*Pſal.125.*Qui ſeminant in lachrymis,in gaudio metent.* Euntes *ibant & flebant, portantes ſemina ſua.* Venientes *autem ueniẽt cum exultatione, portantes manipulos ſuos.*Nouate *uobis nouale, & nolite ſerere ſuper ſpinas,* Hie.4.Ne *miſeritis mar=garitas ueſtras ante porcos,& ne detis ſanctum ca=nibus,*Mat.7.Ego *itaq; ſic curro,ut non in incertum, ſic pugilem ago,non uelut aërem feriens, uerũ ſub=ijcio corpus meum,& in ſeruitutem redigo, ne quo=modò fiat,ut cum alijs prædicarim,ipſe reprobus ef=ficiar,*1.Corin.9.Chryſoſto.de laudibus B.Pauli,Ho=mi.6.*Et reuerà quomodò non abſurdum eſt, ut cùm aliquis neſciat artem gubernandi pugnandiq; cum fluctibus,nec fluminibus adigatur, eligat ad clauum ſedere,& ille qui ad prædicandi officium pergit te=merè,ad iſtud utrunq; contingit,accedat, atq; imme=morabilium rerum curam abſq; ulla conſideratione ſuſcipit.*Non *itaq; nauium gubernatorem, non ad be=ſtias dimicantem,non ludo gladiatorio deſtinatũ,non alium quempiam omnino,ſic ad diſcrimina, ad mor=tes paratam atque expoſitam oportet habere ani=mam,ut eum qui ſuſcipit officium prædicandi.*

Locus

LOCVS XV.

TEmplum, ueſtibulum, altare, ſuggeſtum, cathedra, atrium interitus, tabernaculum teſtimonij, ſanctuarium, penetralia, adita, ſancta ſanctorum. Super montem excelſum aſcende tu, qui euangelizas Syon: exalta in fortitudine uocem tuam, qui euangelizas Hieruſalem, Eſai. 40. Beati qui ſeminatis ſuper omnes aquas immittentes pedem bouis & aſini, Eſa. 32. Quàm pulchri ſuper montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem, annunciantis bonū, prædicantis ſalutem, Eſa. 52. Super ſpeculam domini ego ſum ſtans iugiter per diem, & ſuper cuſtodiam meam ego ſum ſtans totis noctibus, Eſaiæ. 21. Vade & ſta in porta filiorum populi, Hieremiæ 17. Ite in mundum uniuerſum, & prædicate Euangelium omni creaturæ, Marci ultimo. Confitebuntur cœli mirabilia tua, & ueritatem tuam in eccleſia ſanctorū, Pſalmo 88. In cathedra Moyſi ſedēt ſcribæ & phariſæi, omnia ergo quæcunq; iuſſerint uos ſeruare, ſeruate & facite, Matthæi 23. Ego palàm loquutus ſum mundo, ego ſemper docui in ſynagoga, & in tēplo, quò omnes Iudæi conueniunt, & in occulto loquutus ſum nihil, Ioannis 18. Act. 5. Omni autem die non ceſſabant in templo & circa domos docentes, et euangelizantes Ieſum Chriſtum. Vt annunciem omnes prædicationes tuas in portis filiæ Syon, Pſalm. 72. Non enim ſumus ut pleriq;, cauponantes ſermonem,

nem,ſed uelut ex deo in conſpectu dei per Chriſtum loquimur,2.Corinth.2.Vos ſcitis ut nihil ſuffugerim eorum quæ eſſent in rem ueſtram,quum annunciarẽ uobis & docerem uos publicè,ac per ſingulas domos,Acto.20.Non intrat per oſtium im ſtabulũ ouiũ ſed aſcendit aliundè, fur ergo eſt & latro. Intrat per oſtium,igitur paſtor eſt ouium,Ioannis decimo.

TEMPVS XVI.

ERigit mane,mane erigit mihi aurem,ut audiam quaſi magiſtrum,Eſaiæ 50. Neq; gratis panem accepimus à quoquam,ſed cum labore & ſudore nocte dieq; facientes opus,ad hoc, ne cui ueſtrum eſſemus oneri,non quòd id non liceat,2. Theſſa.3.Super muros Hieruſalem conſtitui cuſtodes,tota die,& tota nocte in perpetuum non tacebunt,Eſaiæ 62.Propter quod uigilate memores,quòd per triennium nocte & die non ceſſauerim cum lachrymis mouere unumquenque,Acto.20.Numeratiq; ſunt Leuitæ à triginta annis & ſuprà,1.Para.23.Nume.8. Hæc eſt lex Leuitarum:A uiginti quinq; annis & ſuprà ingrediantur, ut miniſtrent in tabernaculo fœderis. Non enim ſicut uos exiſtimatis,hij ebrij ſunt,cùm ſit hora diei tertia,Acto.2.Nemo tuam iuuentutem deſpiciat,ſed eſto forma fidelium in ſermone,in conuerſatione,in dilectione,in ſpiritu,in fide,in puritate,1. Timoth. 4. Quoniam ab infantia ſacras literas noſti,quæ te poſſint inſtruere ad ſalutem,2.Timoth.2. Prædica ſermonem,inſta,tempeſtiuè,intẽpeſtiuè, argue,

gue, increpa, exhortare cum omni lenitate & doctrina, 2.Timoth.4. Auguſtinus *libro tertio contra epiſtolam* Parmeniani, *capite 2. Turba autem iniquorum, cùm facultas eſt in populis promendi ſermonẽ, generali obiurgatione ferienda eſt, & maximè ſi occaſionem atq; opportunitatem præbuerit aliquod domini flagellum deſuper, quo eos appareat pro ſuis meritis uapulare. Tunc enim aures humiles præbet emendantis ſermoni calamitas auditorum faciliùs in gemitum confitendi, quàm in murmura reſiſtendi afflicta corda compellit.*

CONNEXA XVII.

QVi *bene præſunt preſbyteri, duplici honore digni habeãtur, maximè ij qui laborant in ſermone & doctrina, 1.Timoth.5.* Rog*amus autem uos fratres, ut agnoſcatis eos, qui laborant inter uos, & præſunt uobis in domino, & admonent uos, ut habeatis illos in ſummo pretio per charitatem, propter opus illorum, pacem habete cum illis, 1.Theſſa.5. Nõ quod id nobis nõ liceat, 2.Theſſa.3.1.Corin.9. Ita & dominus ordinauit his qui* Euangelium *annunciant, de* Euangelio *uiuere, 2.Corinthi.11. Num illud peccaui quòd meipſum humiliaui?* Dig*nus eſt operarius cibo ſuo, Matth.10. & Lucæ 10. Et dignus eſt operarius mercede ſua, 1.Timothei 5. Communicet autẽ, Gal.6. Philippen.2. Excipite igitur illum in domino cum omni gaudio, & qui huiuſmodi ſunt, eos in precio habete, quoniam propter opus Chriſti eò acceſſit,*

ut morti

ut morti proximus fuerit, non habita ratione uitæ, ut ſuppleret id quod in ueſtro erga me officio fuit diminutum. Caue ne derelinquas Leuitam in omni tempore, Deuterono. 12. Non ligabis os bouis triturantis in area fruges tuas, Deuterono. 25. Boui trituranti non obligabis os, 1. Timoth. 5. Quis militat ſuis ſtipendijs unquàm? 1. Corinth. 9. Filijs autem Leui dedi omnes decimas Iſraëlis in poſſeßionem, pro miniſterio quo ſeruiunt mihi in tabernaculo fœderis, & c. Nihil aliud poßidebunt decimarum oblatione contenti, quas in uſus eorum, & neceſſaria ſeparaui, Nume. 18. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti erimus, 1. Timoth. 6. Memores eſtote eorum qui præſunt uobis, qui loquuti ſunt uobis ſermonem Dei, quorum imitemini fidem, conſiderantes qui fuerint exitus conuerſationis illorum, Heb. 13. Etenim ſi ſpiritualia communicauerunt gentibus, debent & hæ in carnalibus miniſtrare illis, Romanorum decimoquinto. Si nos uobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt, ſi nos carnalia ueſtra metamus? 1. Corinthiorū. 9. Laborantem agricolam oportet primùm de fructibus percipere, 2. Timothei. 2. Primæ Theſſalon. ſecundo, Neq; unquam per ſermonem adulationis uerſati ſumus, quemadmodum noſtis, nec per occaſionem auaritiæ, deus eſt teſtis, neq; quærentes ex hominibus gloriam, nec à uobis, nec ab alijs, cum poſſemus in autoritate eſſe tanquàm Apoſtoli Chriſti. Quoniam in Apoſtolorum mentionem incidimus, haud ab re fuerit, huc

obiter

obiter annumerare inſigniora eorundem epitheta aliquot, ad locum connexorum ſacientia, quæ paßim leguntur apud D. Hieronymum pariter & Ioannē Chryſoſtomum: Angeli architecti tēpli ſeu eccleſiæ, aratores, agricolæ, actores, amici, abietes, alæ, athletæ, arietes gregis dominici. Bellatores orbis, Babylonis expugnatores, boues triturantes. Columnæ eccleſiæ, columbæ, cataractæ, cerui qui in omnem terrā excurrerunt, cophini, cementarij, cuſtodes murorum Hieruſalem, cypariſsi, Cyri, canes, cœli, colles, calciati utroq; pede. Duodecim leunculi ſuper ſex gradus throni Solomonis, 3. Reg. 10. 2. Paral. 9. Duodecim portæ ciuitatis magnæ ſanctæ Hieruſalem, Apocal. 21. Duodecim fundamenta ciuitatis Hieruſalem, Apocalyp. 21. Duodecim lapides in rationali pontificis, Exod. 28. Apoc. 21. Duodecim tribus filiorum Iſraël, Gene. 35. Duodecim boues ſuper quos mare æneum impoſitum fuerat, Paral. 5. 3. Regum. 7. Duodecim fontes in Helim, iuxta quos caſtrametati ſunt filij Iſraël, Exo. 15. & Nume. 35. Duodecim lapides in Iordane. Duodecim uiri principes ſubornati ad explorandam terram Chanaan, Nume. 13. ac. 14. Seniores ſuper duodecim ſedes ſedentes, qui iudicabunt duodecim tribus Iſraël. Duodecim lapides prætioſi, duodecim menſes, duces, duces gregis, doctores, diſpenſatores, dij. Elementa mundi, elementa magna, equi, Equi uarij & fortes, qui quærebant diſcurrere per totam terram, Zacha. 6. excubitores, ædificantes. Fratres

Inſigniora Apoſtolorū epitheta.

Fratres domini,filij ingenuorum,filij Iacob,filij maris,filij,fundamenta terræ,firmamenta eccleſiæ,firmamentum terræ,filij pinguedinis, qui aßiſtunt dominatori uniuerſæ terræ, Zacha.4. Fontes *ſaluatoris,* Eſa. 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus ſaluatoris.Gubernatores,*Homines,*Iudices,* Lux *mundi,* Mißi *milites,*Medici,*myrti, montes,* Nubes,*nuncij, notarij ſaluatoris.*Oues *fœtæ, operarij in uineâ conducti.*Petræ,*paſtores iuxta cor* Dei, *prophetæ, patriarchæ, palmæ, piſcatores hominum populorumq́;, portendentes uiri,patres, poteſtas ſecunda & panis,pugnatores, promi, condi uerbi uitæ, præpoſiti* Eccleſiarum,*principes* Eccleſiæ. Q*uadriga domini.* Reliquiæ,*reliquiæ* Iſraël,*reguli.Sal terræ,ſenæ alæ, ſagittæ, ſpeculatores, ſeniores, ſequeſtri populi ac patroni apud* Deum.Trituratores,*tutores,tauri.*Viri *portendentes,uermes* Iacob,*uoces Seraphin,uinitores.*His *finitimæ ſunt &* Eccleſiaſtarum, *ſiue concionatorum nomenclaturæ:*Speculator,Ezechiel.33. Propheta,*hoc eſt, explanans arcana ſcripturæ myſteria,*1.Corin.14.*Euangeliſta,*Eſai.41.Epheſ.4.2. Timot.4.Acto.21. Preſbyter.*i.ſenior*.1. Timoth.5. Ibidem *aduerſus preſbyterum,& cæt.*Epiſcopus,*id eſt,inſpector & curator,*1.Tim.3.*ad* Titum.1.Acto. 20.A*poſtoli,præcones,angeli,*Malach.2.Angelus *enim* Græcè,Hebraicè Malach,Latinè *dicitur nũcius, non qui abſentis literas adferat,ſed qui ore eius cuius eſt nuncius, agit negotium.* Verùm de his plus

ſatis, ad id unde digreßi ſumus reuertamur. Vos *eſtis ſal terræ*. Vos *eſtis lux mundi*, Matthæi *quinto*. Dedit *illis poteſtatem & autoritatem ſuper omnia dæmonia, & ut morbos ſanarent*, Lucæ *nono*. Conſti*tues eos principes ſuper omnem terram*, Pſalm. 44. Euntes *ergo docete omnes gentes*, Matth. 28. Itaque *nomine Chriſti legatione fungimur*, 2. Corinthior. 5. Q*uis igitur eſt* Paulus? *quis autem* Apollo? *niſi miniſtri per quos credidiſtis, & ut cuique dominus dedit*, 1. Corinth. 3. Tu *ergo accinge lumbos tuos, ſurge, & loquere ad eos omnia quæ ego præcipio tibi*, Hiere. 2. Hieronymus *in commentarijs eius loci*, Et Iob *præcipitur ut accingat lumbos ſuos, &* Apoſtolis, *ut accinctis lumbis quos* Helias, *&* Ioannes Baptiſta *zonis mortificauere pelliceis, lucernas teneant in manibus ſuis, prædicationis uim* Euangelicæ. Q*uicunq; igitur ſermones locutus eſt* Dei, *debet accingere lumbos ſuos, ſciens quòd diaboli omnis uirtus in lumbis ſit, & iuſtus dicat in* Pſalmis: Lumbi *mei impleti ſunt illuſionibus*. Cumq; *accinxerit lumbos, audiat illud quod ſcriptum eſt*, Surge *qui dormis, & eleuare, & illuminabit te* Chriſtus, *ut ſemper uigilans, & de ſomno cõſurgens, loquatur quæ ſibi præceperit* Deus. Hæc *ille*. Conſecratio, *unctio, titulus, autoritas*. Opi*nor autem quòd & ipſe ſpiritum* Dei *habeam*, 1. Cor. 7. Charact*er, ſacra ueſtis, corporis ſpecies, oris dignitas*, Arma *iuſtitiæ, quibus à dextris pariter ac ſiniſtris communitus eſt* Eccleſiaſtes, 2. Corinth. *ſexto*.

Quapro-

Quapropter aſſumite uniuerſam armaturam Dei,*ut poßitis reſiſtere in die malo,& omnibus paratis ſta-re.State igitur lumbis circumcinctis,baltheo per ueri-tatem,& induti thoracem iuſtitiæ , & calceati pedi-bus,ut parati ſitis ad* Euangelium *pacis,ſuper omnia aſſumpto ſcuto fidei,quo poßitis omnia iacula mali illius ignita extinguere.*Galeamq; *ſalutaris accipite, & gladium ſpiritus,qui eſt uerbum* Dei, Epheſ.6. *Induti ſunt arietes ouium,& ualles abundabunt fru-mento, clamabunt etenim, hymnum dicent,* Pſalmo 64.Pro *Chriſto ergo legatione fungimur, tanquàm* Deo *exhortante per nos, ſecundæ* Corinthi. *quinto.* Gratuitò *accepiſtis,gratuitò date,*Matth.10.Vir *pi-loſus,& zona pelliceæ accinctus renibus,* 4.Regũ 1. *Ipſe uerò* Ioannes *habebat indumentum ſuum è pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos,* Matthæi 3. Audit *ſponſa in cantico myſtico:*Niſi *co-gnoueris te ò pulchra inter mulieres,egredere, & abi poſt greges ſodalium tuorum.* Idem *ſuæ quiſque noſtrum animæ dictũ exiſtimet:niſi cognoueris, quã ſumpſeris perſonam, noli eſſe dux gregis dominici, ſed ſequere magis gregarios homines.* Cuius *eccle-ſiæ factus ſum ego miniſter iuxta diſpenſationem* Dei, *quæ data eſt mihi in uos implendi ſermonem* Dei,Co-*loſſen.*1.Militans Euangelio,*implicatur uitæ negotijs: non poteſt igitur ei qui ſe in militiam delegit, place-re,*2.Timot.2.Vt *quiſque accepit donum,ita alius in alium illud miniſtrantes,ut boni diſpenſatores uariæ*

gratiæ Dei, 1.Petri.4. *Paulus ſtudio prædicandi ſe ſeruum fecit omnibus, quum eſſet liber ab omnibus.* Non *erat hoc adulationis, nec hypocriſeos: id arguit ſcopus, ut plures, inquit, lucrifacerem: domini lucrum captabat, non ſuum.* Gregorius *ſuper* Iob, *cap.* 28. *lib.* 6. *moralium,* Loquendi *autoritas perditur, quando uox operibus non iuuatur.* Cauete *uerò uobis à pſeudoprophetis, qui ueniunt ad uos in ueſtitu ouium, ſed intrinſecùs ſunt lupi rapaces,* Matth.7. Non *enim quæro quæ ueſtra ſunt, ſed uos.* Non *enim debent filij parentibus recondere, ſed filijs parentes,* 2.Co.12. Et *idem dedit alios quidem* Apoſtolos, *alios uerò prophetas, alios autem euangeliſtas, alios autem paſtores ad inſtaurationem ſanctorum, in opus adminiſtrationis, in ædificationem corporis* Chriſti, Ephe.4. Et *alios quidem poſuit* Deus *in eccleſia primùm* Apoſtolos, *deindè prophetas, tertiò doctores,* 1. Corin. 12. Q*ui uos audit, me audit, & qui uos ſpernit, me ſpernit.* Q*ui autem me ſpreuerit, ſpernit eũ qui miſit me,* Luc.10. Propterea *reliqui te* Cretæ, *ut conſtitueres per ſingulas ciuitates preſbyteros,* Tit.1. Q*uũ conſtituiſſent per ſingulas eccleſias preſbyteros, & oraſſent,* Acto.14. Chryſoſto. Home.47. *in* Matthæ. Q*uemadmodum gallina non ſolùm ſuos calefacit filios, ſed etiam cuiuſcunq; uolatilis pullos excluſos à ſe diligit quaſi ſuos:* Ita *ſacerdotes doctores, non ſolùm ſuos ſubiectos* Chriſtianos, *ſed omnes alios fidei ſuæ calore uiuificent, ſermone nutriant, materna diligant*

ligant charitate.Idē Home.65.Quoàd bono, & læto animo eſt gubernator,etiam nautæ ſecuri ſunt: ſin inuiſus eis eſſe cœperit,& moleſtè ferre,neq; itidem uigilare,neq; artem exercere poterit,& inuitus moleſtusq; multis eos afficiet malis:Ita & ſacerdos ſi debitum à nobis cultum ſibi præſtari uiderit, rectè nos gubernare poterit:ſi morte afficietis, manus ei debilitantes,ſimul uobiſcū fluctibus,etiam ſi maximi animi ſit,obijcietis.Hieronymus lib.2.aduerſus Iouinianum,Anè nudo eras pede,modò non ſolùm calceato, ſed & ornato.Tunc pexa tunica, & nigra ſubucula ueſtiebaris,ſordidatus & pallidus,& calloſam opere geſtitans manum: Nunc lineis,& ſericis ueſtibus, & Atrebatium ac Laodiceæ indumentis ornatus incedis. Rubent buccæ,nitet cutis,comæ in occipitium frontēq; tornantur,protenſus eſt aqualiculus,inſurgunt humeri,turget guttur, & de obeſis faucibus uix ſuffocata uerba promuntur.Certè in tanta diuerſitate uictus & ueſtitus,neceſſe eſt,aut hìc,aut ibi eſſe peccatum,non quòd peccatum in cibo aut in ueſtibus aſſeram, ſed quòd uarietas & commutatio in deterius reprehenſioni proxima ſit.

CONTINGENTIA XVIII.

QViſnam eſt fidelis ſeruus & prudens, quem præficiat dominus familitio ſuo, ut det illis cibum in tempore? Matt.24.Si tam malè morati ſunt, tamq; parum ſapiunt Chriſtum, quibus cum aſſiduè uiuit,apud quos toties concionatur,& in quos priua-

tim habet autoritatem,quosq; facillimè poterat ad ſuos mores fingere,aut hypocrita eſt qui faueat nequitiæ ſuorum,aut indiligens concionator, Luc.12.*Quiſnam eſt fidelis diſpenſator,ac prudens,quem cōſtituet dominus ſuper famulitium ſuum,ut det illis in tēpore demenſum cibum?*Sic *nos exiſtimet homo,ut miniſtros* Chriſti *, & diſpenſatores myſteriorum* Dei. Q*uod ſupereſt autem,illud requiritur in diſpenſatoribus,ut fidus aliquis reperiatur,*1.Cor.4.*Qui fidelis eſt in minimo,& in multo fidelis eſt: & qui in minimo iniquus eſt,is & in multo iniquus eſt.*Si *ergo in iniquo mammona fideles non fuiſtis,quod ueſtrum eſt,quis credet uobis?*Et *ſi in alieno fideles non fuiſtis,quod ueſtrum eſt,quis dabit uobis?*Lu.16.De *artificio nemo iudicat niſi artifex, & quiſquam ſibi id ſumet:& de ſpirituali ſcriptura uerè pronunciet cōcionetúr ue niſi ſpiritualis?*2.Cor.12.*Sed eſto,ego uos non grauaui,ſed quū eſſem aſtutus, dolo uos cepi.*In *ſeceßibus ac cœnobijs animo uerè ſpirituali diu uixit igitur poteſt euocari cui docendi populum munus rectè committatur .* Ieiunijs, *hydropoſijs, uigilijs chamennijs,reliquaq; actæ uitæ auſteritate moderata, apud uiros bonos,nec uulgariter eruditos, idq; in religione probata educatus eſt primùm.* Deinde *multis annis de priſtina auſteritate:in qua fuit educatus, nihil remiſit,ſed ſemper duram egit uitam:ergo cæteris aptior erit ad obeunda concionatoris munia.* Poßidet *diuitias,ſplēdidiùs ædificat,ueſtitur nitidiùs,conui=*

us,conuiuatur lautiùs, uino hilareſcit, rariùs concio-natur,conſuetudinem habet cum fœminis: igitur mali-gno uulgo, & ad obtrectandum,quàm ad obtempe-randum procliuiori,præbet malè ſuſpicandi, maleq́; loquendi materiam. Verum prædicat, odio igitur ha-betur. Ambroſius *in commentarijs* 1.*Corinth.* 4. *Li-berè enim & ſine adulatione ueritatem prædicantes, & geſta prauæ uitæ arguentes, gratiam non habent apud homines.* Gregorius *ſuper* Euangelia,*lib.*2.*Ho-mil.*6.*Cuius uita deſpicitur, reſtat ut eius prædicatio contemnatur.*

NOMEN REI XIX.

L*Abia enim ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam,& le-gẽ requirũt ex ore eius,quia angelus domini ex-ercituum eſt,*Malac.2.*Attendite igitur uobis & cun-cto gregi, in quo uos ſpiritus ſanctus poſuit* Epiſco-*pos,ad regendum eccleſiam* Dei,*quã acquiſiuit ſan-guine ſuo,* Acto.20. *Et tu fili hominis ſpeculatorem dedi te domui* Iſraël,*audiẽs ergo ex ore meo ſermo-nẽ annunciabis eis,*Ezech.33.*Vox ſpeculatorum ſi-ue cuſtodum tuorum,Leuauerunt uocem ſimul,lauda-bunt ſiue lætabũtur,id eſt,*Eccleſiaſtarum *in ſua do-ctrina ſumma erit concordia,quam hiſce temporibus, proh dolor,in multis deſideramus,audimus clamo-rem exultantium,ſed diſſonũ ac diſcordem,* Eſai.32. *Chryſoſtomus ſermone de ieiunio,*Hypocrita,*id eſt, hiſtrio uocatur is, qui in theatro alienam faciem ſu-mit,ut ſeruus exiſtens ſæpenumero domini, & pri-*

uatus regis: Sic & *in hac uita ad ſuos motus orcheſtra atq; theatrum exercent ij (Eccleſiaſtæ) qui alia corde gerentes, alia extrinſecùs hominibus præ ſe ferunt*. Vos *autem nolite uocari* Rabbi:*unus enim eſt magiſter ueſter, nempè* Chriſtus:*omnes aũt uos fratres eſtis*, Matth.23. Ex *delegata autoritate enarrandis ſcripturis* Chriſtum *annunciat, igitur in illũ potiſſimum competit* Apoſtolici *nominis dignitas*.Parochus *es, proindè curam ſuſcepiſti præbendi laicis ſpiritualem alimoniam*.Quandoquidem *eccleſia* Græcis *eſt, quæ* Latinis *concio, hoc eſt, populus euocatus ad audiendum de reipub.negotijs*: *ob id qui mulierculas ſtultas, ruſticanam colluuiem, agreſtes operas, ſacramentarios atq; factioſos iſtos anabaptiſtas in conciliabulis ad impia dogmata ſeditionesq; aduerſus rempub.* & *matrem eccleſiam conuocant, ſectas eructãt, ſcabiem affricant, morbum inhalant, uenenum afflãt, non eccleſiaſtæ nominandi ſunt, ſed ſeditioſi*.Eccleſia *eſt multitudo credentium, iam inde ab* Apoſtolis *quaquauerſum ſparſa diffuſaq; uerbo, fide*, & *ſacramentis conſentiens*. Quiſquis *igitur eiuſmodi præeſt multitudini in uerbo, fide* & *ſacramentis cõſentienti, is iure appellandus eſt* Eccleſiaſtes. Hieron.*in commentarijs* Malachiæ *cap*.2.Labia *ſacerdotis cuſtodient ſcientiam:non dixit proferent, ſed cuſtodient, ut loquantur in tempore, dentq; conſeruis cibaria in tempore ſuo*. Et *legem requirent ex ore eius*.In Aggeo *hoc idem ſcribitur*:Interrogate *ſacerdotes*

dotes legem domini. Ad ſacerdotis pertinet diſcipli- nam, interrogatum reſpondere de lege. Qui ſi igno- rantiam in cæteris diligentem, in ſcripturis ſanctis obtenderit negligentem, fruſtrà iactat dignitatem, cuius opera non exhibet. Hoc eſt quod Apoſtolus Paulus *ſcribit ad* Titum, *ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & contradicentes reuincere.* Et ad Timotheum, *Quoniam ab infantia ſacras literas noſti, quæ te poßint inſtruere ad ſalutem, ut peccantes co- ram omnibus arguas.* Sequitur: *Quia angelus domi- ni exercituum eſt.* Exponit *nomen ſuum,* Eſdras *ſa- cerdos* Dei, *hoc eſt,* Malachia, *quod eſt angelus do- mini, interpretatur.* Angelus *autem, id eſt, nuncius, ſacerdos* Dei *uerißimè dicitur, quia* Dei *& hominum ſequeſter eſt, eiusq; ad populum nunciat uoluntatẽ: & idcirco in ſacerdotis pectore rationale eſt, & in rationali doctrina, & ueritas ponitur, ut diſcamus ſacerdotem doctum eſſe debere, & præconem domi- nicæ ueritatis.*

PRONVNCIATA XX.

Quomodo prædicabunt, niſi mißi fuerint? Sicut ſcriptum eſt: Quàm ſpecioſi pedes annunciã- ciantium pacem, annunciantium bona, Roma. 10. *Ad legem magis & ad teſtimonium. Quòd ſi non dixe- rint iuxta uerbum hoc, non erit eis matutina lux,* Eſai. 8. *Non addetis ad uerbum quod uobis loquor, nec auferetis ab eo. Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito domino, nec addas quicquam, nec minuas,* Deut. Eſai. 52.

12. *Nume.*

12.*Num.*15.*& 22.Cæterũ etiamſi nos, aut angelus è cœlo prædicarit uobis* Euangelium *, præter id quod prædicauimus uobis,anathema ſit,*Gal.1.*ca.* Et *mox:* Notum *autem uobis facio fratres* Euangelium,*quod prædicatum eſt à me,non eſſe ſecundum hominem . Neq; enim ego ab homine accepi illud,neque didici, ſed per reuelationem* Ieſu Chriſti,Gal.1.Augu.*lib.*2. *de baptiſmo contra* Donatiſtas *cap.*6.Non *afferamus ſtateras doloſas,ubi appendamus quod uolumus pro arbitrio noſtro dicentes,hoc graue, hoc leue eſt: ſed afferamus diuinam ſtaterã de ſcripturis ſanctis,tanq̃ de theſauris dominicis,& in illa quid ſit grauius apẽdamus,imò nõ appẽdamus,ſed à domino appenſa recognoſcamus.*Et *habemus firmiorẽ ſermonem propheticũ,cui cũ attenditis ceu lucernæ apparenti in obſcuro loco,rectè facitis,donec dies illuceſcat, & lucifer exoriatur in cordibus ueſtris.*Si *illud prius noueritis, quòd omnis prophetica ſcriptura non ſit priuatæ interpretationis .* Non *enim uoluntate hominis allata eſt olim prophetia,ſed à ſpiritu ſancto impulſi,loquuti ſunt ſancti dei homines,* 2.Petri 2. *Omnis ſcriptura diuinitùs inſpirata & utilis ad doctrinam, ad redargutionem,ad correctionem,ad inſtitutionem quæ eſt in iuſtitia,ut integer ſit homo,ad opus bonum apparatus,*2.Timot.3.Et *eritis mihi teſtes non ſolùm* Hieroſolymis,*uerumetiam in uniuerſa* Iudæa Samariaq;.Deniq; *uſq; ad extrema terræ,*Actor.1. Vos *teſtimonium perhibebitis,*Ioannis 15.

Comparata

COMPARATA XXI.

QVi Cæſari militant homines homini, non implicantur curis (ut ait Apoſtolus) βιωτικοῖς, omittunt negociationem, agriculturam, fabricam, aliaq; huius generis opificia, quibus conſuerint ſibi parare uictum, quò liberi à curis rei familiaris, toto pectore ſeruiant Imperatori, ſuo contenti ſtipendio. Quantò magis oportet eos, qui deo præclaram hanc militiã militant, habere cor ſimplex, & immunes eſſe nõ ſolùm à luxu, uoluptatibus, & cæteris huiuſmodi uitijs, uerumetiam à curis iſtis humilioribus, quæ ut non pertrahant hominem ad crimen, tamen auocant animum ab illa ſublimitate, quæ requiritur in Eccleſiaſta. Militat quidẽ Chriſto quiſquis illi dedit nomen in baptiſmo, ſed is præcipuè, cui in alios commiſſus eſt gladius ſpiritus, quod eſt uerbum Dei. Si Paulus tã inſignis Eccleſiaſtes ſuis manibus ſibi parauit uictum, quò gratis doceret euangelium, an non pudebit nos populum (quẽ utcunq; docemus) expilare, teſtamenta captare, opes uenari, ditari, mundi gloria deliniri, & ſplendidis conuiuijs ſaginari? Si Dauid propheta, quanquàm rex inunctus eſſet, idq; à domino, tamen patienter expectauit tantiſper, dum Deus regem Saul è medio tolleret: Cur non initiatus etiam ſacerdos expectabit oportunitatem iuxtà ac uocationem, priuſquàm paſcat gregem dominicum? Quid? quod Chriſtus ipſe cœleſtis patris uoce doctor declaratus priùs ſeceſſit in eremum quàm pro-

diret

diret ad docendum. Actorum decimotertio, Segregate mihi Barnabam. Romanorum primo, Vocatis in Euangelium, &c. Hebræorũ quinto, Nemo ſibi uſurpat. Hier. 23. Non mittebam prophetas, & ipſi currebant. Si Paulus ſtudio lucrifaciendi quàmplurimos, omnia fit omnibus: Si omnium ſe ſeruum facit, ſi gratis, hoc eſt (ut illius utar uerbo) ἀπάλανως adminiſtrat Euangelium, ſi undiquaq; circũſpectus eſt, ne quod offendiculũ ponat Euãgelio: ſi deniq; inter afflictiones, carceres ac mortes, conſtanti alacritate prædicat Chriſtum: Et ad hoc egregium exemplar pudebit nos Eccleſiaſtas præparare pro ſua quenque uirili, & huc à teneris educare, qui huic muneri deſtinetur? An uerò dominus Ieſus optimus maximus extendit manus ſuas tota uita ſua ad populũ incredulum & reclamantem, nec deſijt unquam ſeminare bonum ſemen, quanquam ſciret non prouenturum in omnium cordibus. Ille coluit uineam, quæ pro dulcibus uuis produxit amaras labruſcas. Nos quur id facere pigritamur, qui neſcimus ſementis euentum? Iaciendi ſeminis, plantandi, rigandiq; nobis negocium traditum eſt, prouentus in manu dei eſt, qui qualiſcunq; erit, nihil decedet noſtro præmio, qui bona fide nauauimus operam debitam fundi domino, quum ipſi nihil aliud ſimus quàm coloni, alienum ſemẽ & alienum agrum iacientes. Quarto Regum ſecundo, Si pueris irriſoribus Helizei, quibus parcendum uidebatur, quippe tenellis, non ignouit unicum conuiciolum,

ciolum, alui, quid iſtis eccleſiaſtas irridentibus?

A PARI.

AN *non habemus poteſtatem ſororem mulierem circunducendi, quemadmodum & cæteri* Apo*ſtoli; & fratres domini, &* Ceph*as? aut ſolus ego &* Barnab*as non habemus poteſtatem hoc faciendi?* 1. Corinthiorum *nono.* Quod *ſi dominus apud* Eſaiam *prophetam queritur nomen ſuum ignominioſum fieri, ac malè audire inter gentes ob impios mores profitētium:* Quid *ni uerò idem optimo iure queri poſſet,* Eccleſiaſtarum *uitio, munus illud ſacroſanctum reddi aſpernabile?* Si Diaconus *rectè ſumit ueſtē ſacram,* Euangelium *recitaturus, cur non ſacerdos* E*uangelium enarraturus?* Præſertim *cùm olim* Euan*gelij narratio pars fuit miſſæ: nec enim epiſcopus alia ueſte docebat populum, quàm qua peragebat myſteria.* Si *nō audemus ad dominicam menſam accedere, niſi ieiuni, idq; meritò facimus, cur non eadē ſobrietas neceſſaria concionatori?* Si *non aggredimur ad ſacrificandum, niſi ſemel atque iterum accurata confeßione purgauerimus conſcientiam, & quod facimus, omnibus modis probandum eſt, imò neceſſarium, cur tractaturi uerbum* Dei *ſimilem curam non adhibemus?* Si *autore* Auguſtino *non minus ſit* Dei *uerbum quàm* Chriſti *corpus, quanta igitur ſolicitudine obſeruamus, quando nobis* Chriſti *corpus adminiſtratur, ut nihil ex ipſo de manibus noſtris in terram cadat: tanta ſolicitudine obſeruandum erit, ne uerbum*

ne uerbum domini quod nobis erogatur (dum aliquid aut cogitamus, aut loquimur) de puro corde pereat. Quia non minùs erit reus qui uerbum Dei negligenter audierit, quàm ille qui corpus Chriſti ſua negligentia in terram cadere permiſerit, 1.q.1. Interrogo *uos. Quiſquis autem dicat, non eſſe hominibus præcipiendum, quid uel quemadmodum doceant, ſi doctores ſanctus efficiat ſpiritus, poteſt dicere nec orãdũ nobis eſſe, quia dominus ait: Scit pater ueſter quid uobis neceſſarium ſit, priuſquàm petatis ab eo,* Auguſtinus *lib. 4. de doctrina Chriſtiana, cap. 16.*

A MINORI.

QVi *militant homini duci, non ſunt ſoliciti de uictu, ſed ab Imperatore expectantes alimoniam, tantùm hoc ſtudent, ut illi fidelem ac ſtrenuam nauent operam. Quantò turpius eſt quoſdam qui Chriſti militiam profeſſi ſunt in Euangelio, de tali Imperatore diffidere, & congerendis opibus incumbere? Fauemus hiſtrioni, ne ſi explodatur, fruſtrà fabulam edidicerit: quantò iuſtiùs fauendum Eccleſiaſtæ, qui per omnem uitam ſummis uigilijs ac laboribus parauit, quo populum reddat meliorem? Comœdiarum actores queruntur de ſpectatoribus, orantes ut illorum attentione, & ſilentio ad rectè agendum adiuuentur, alioqui frigere actionem. Quod hiſtrio ſuo iure poſtulat, hoc negabitur uerbi ſalutiferi præconibus?*

A maiori,

A MAIORI.

NOn eſt ſeruus maior domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & uos perſequentur. Si ſermonem meum ſeruauerunt, & ueſtrum ſeruabunt, Ioan. 15.
D. Petrus Apoſtolici culminis princeps, dies multos diuerſatus eſt Ioppe apud Simonem quendam coriarium, opificem non ſolùm plebeium, uerùm etiã ſordidum. Et pudebit Petri. N. hoc eſt (ſic enim iſti loquuntur) N. niſi (ut inquit Eſaias) coniungant domũ domui, & agrum agro copulent uſq; ad terminum loci, quaſi uerò illi ſoli ſint habitaturi in medio terræ. Adeò in immenſum creuerunt opes Eccleſiæ. Gratulandum eſt fœlicitati, ſi modò uerè ſita eſt in hoc eccleſiæ fœlicitas, & ſi fœlicitati reſpondet pietas. Inter diſpenſatores illud unum quæritur (quemadmodum ait Apoſtolus) ut quis fidelis inueniatur. Si hoc requiritur inter homines ab ijs qui rerum uilium diſpenſationem ſuſceperunt, quantò magis hãc fidem requirit Deus ab ijs, quibus myſteriorum ſuorum diſpenſationem concredidit? Si Paulus noluit cuiquam eſſe oneroſus, qui tantùm laborauit, qua tandem fronte concionatorculi quidam expilant plebem, cùm nulli ſint uſui? Si uinum non bibet omnis ſacerdos, quando ingreſſurus eſt atrium interius, Ezechi. 44. quid par eſt fieri, quando pulpitum conſcendet concionaturus?

Act. 9.

Eſai. 5.

SIMILIA XXII.

HIeronymus lib.2.cōmenta.in epiſtolam ad Galat. cap. 4. Quomodò in coniugio ſæpe uiri ſemen in cauſa eſt, ne liberi procreentur, nonnunquam & ſterilis uxor ſemina non tenet, & frequenter neuter ad generandam aptus eſt, & è contrario uterque fœcundus eſt: Ita & in his qui uerbum Dei ſeminant, quadrifariàm hæc diuiſio cuſtoditur: ut impleat quidem ſuum doctor officium, ſed ſit ſterilis auditor: uel auditor bonæ indolis ſit, ſed per imperitiã doctoris uerbi ſemen intereat: aut tam uecors ſit qui docetur, quàm ille eſt qui præcipit: raroq; contingit ut & magiſter, & diſcipulus ſibi conſentiant, ſcilicet, ut tantùm iſte doceat, quantũ ille poßit haurire, uel tantùm ſuſcipere doctus, quantùm doctor ingerere. Daniel. 12. Qui autẽ docti fuerint, fulgebũt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiũt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Oſe. 5. Quoniam laqueus facti eſtis ſpeculationi, & ſicut rete expanſum ſubter Thabor. Ecce dedi faciem tuam ualentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum, ut adamantem, & ut ſilicem dedi faciem tuam. Ne timeas eos, neq; metuas à facie eorum, quia domus exaſperans eſt, Ezec. 3. Sicut ros Hermon qui deſcendit in montem Syon, Pſal. 132. Ecce ego emitto uos, uelut oues in medio luporũ. Eſtote igitur prudentes, ueluti ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ, Matth. 10. Clama, ne ceſſes, quaſi

tuba

tuba exalta uocem tuam, & annūcia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob *peccata eorum,* Eſa.58. *Cæterùm prophanas uocum inanitates prætermittito: ad maiorem enim proficiēt impietatem, & ſermo illorum ut cancer morbus, paſtionem habebit,*2.Timo. 2.*Sed fuimus placidi in medio ueſtri, perindè ac ſi nutrix foueat ſuos filios, ſic affectu propenſi in uos, &c.*1.Theſſa.2. Hieronymus aduerſus Luciferianos: *Vt ſal omnem cibum condit, nec eſt aliquid per ſe tā ſuaue, quod abſq; eo guſtum demulceat: Ita mundi totius & propriæ* Eccleſiæ *condimentum eſt* Epiſcopus, *qui ſi infatuatus fuerit, ſiue per negationem, ſiue per hæreſim, ſiue per libidinem, & (ut ſemel dicam) per uniuerſa peccata, à quo alio poterit condiri, cum ipſe fuerit omnium condimentum?* Ioannes Chryſoſtomus Homilia de Lazaro 2.*Mater amans, quum infantem lactentem parat ad ſolidum cibum adducere, ſi ſimul multum meri infundat ori, nihil prodeſt infanti, refundente puero quod datur, ac tuniculā qua pectus tegitur, irrigante. Quod ſi ſenſim ac paulatim infundat puer quod traditum eſt, abſq; moleſtia tranſmittit: Sic animi auditorum quantum excipere poſſint, uidendum: nam maiora intellectu uelut parū aptos ad percipiendum animos non ſubibunt. Sicut paſtor gregem ſuum paſcet, in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit, fœtas ipſe portabit,* Eſaiæ 40. *Qui ſunt iſti qui ut nubes uolant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas?* Eſai.60. *Quemadmodum*

modum nubes in ſublimi uolant, ut terram ſubiectam irrigent reddantq́; fœcundam: Sic doctores Euangeli*ci procul à terrenis cupiditatibus ſublati, cœloq́; uicini, cœleſtis pluuia uerbi mentes hominum humiles ac ſteriles imbuūt, ut euulſis uepribus producāt fructus* Deo *dignos: per hos enim præcipuè noſtra terra aut fertilis aut ſterilis eſt.* Sicut *columbæ uolitant ad foramina ſua*: Ita Eccleſiaſtæ *ubique ſpargentes* Euangelij *gratiam: non enim nidulantur humi, ſed in petrarū ſublimium cauernis, iugibus, ſuſpirijs ac precibus omneis humi repentes prouocant ad amorē uitæ cœleſtis.* Factus *ſum æs reſonans, aut cymbalum tinniens,* 1. Cor. 13. Quemadmodum *lyra dulce quum ſonet ipſa, tamen nullum ſonorum ſenſum habet*: Ita *ſunt qui ſalutaria dicentes, ipſi ſeſe haud quaquam audiūt.* Auguſtinus *lib.* 4. *doctrinæ Chriſtianæ, cap.* 16. *Sicut enim corporis medicamenta, quæ hominibus ab hominibus adhibentur, nō niſi eis proſunt quibus* Deus *operatur ſalutem, qui & ſine illis mederi poteſt, cum ſine ipſo illa non poßint, & tamen adhibētur: & ſi hoc officioſè fiat, inter opera miſericordiæ, uel beneficentiæ deputatur:* Ita *& adiumenta doctrinæ, tunc proſunt animæ adhibita per hominem, cùm* Deus *operatur, ut proſint, qui potuit* Euangelium *dare homini, etiam non ab hominibus, neq; per hominem.* Hieronymus *in* Eccleſiaſt. *cap.* 12. Verba *ſapientium ut ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi.* Simul, *inquit, & hoc notādum eſt, quòd dicantur uerba ſapien-*

ba ſapientium pungere, non palpare, nec molli manu attrahere laſciuiam, ſed errantibus, & (ut ſuprà diximus) tardis pœnitentiæ dolores, & uulnus infigere. Si cuius igitur ſermo non pungit, ſed oblectationem facit audientibus, iſte non eſt ſermo ſapientis. Verba quippe ſapiẽtium, ut ſtimuli. Et quomodò *deſcendit imber, & nix de cœlo, & illuc ultra non reuertitur, ſed inebriat terram & infundit eam, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti: Sic erit uerbum meum, quod egredietur de ore meo.* Non *reuertetur ad me uacuum, ſed faciet quæcunq; uolui, & proſperabitur in his ad quæ miſi illud,* Eſai. 55.

DISSIMILIA.

IN *morbis corporis, ut quiſque eſt difficillimus, ita medicus nobiliſſimus atq; optimus quæritur:* In *periculis animarum, ut quæq; cauſſa difficillima eſt, ita deterrimus obſcuriſſimúsque concionator adhibetur. Non uox illa concionatoris, ut cœna minus pluribus ſufficit, ſed ut ſol uniuerſis idem lucis caloriſq; largitur.* Præceptor *homo grauatur homini diſciplinam humanam committere, putà dialecticen, aut arithmeticen ſomnolento, oſcitanti aut crapula grauato.* Et *cœleſtis profeſſor ſapientiæ dignabitur loqui uoluptatum huius mundi amore temulentis, rerum cœleſtiũ neglectu nauſeantibus?* Fur *non uenit niſi ut furetur, & mactet, & perdat.* Ego *ueni ut uitam habeant, & abundantiùs habeant,* Ioannis decimo. Chryſoſtomus

Homil.in Ioan.12.Non enim in eadē conditione,qua agricolæ, ſunt uerbi diuini præceptores. Siquidem agricolæ poſt annuos ſudores,& miſeram illam laborioſamq́; uitam, ſi terra aliquando pro operis in ſe impenſis non reſpondeat,nemo alius eius damnum inſtaurare poteſt,ſed pudibundus, triſtisq́; ab area domum ad uxores & filios reuertitur,& quem longi laboris mercedem petat, habet neminem:In nobis nihil huiuſmodi uſu uenit,ſed licet culta terra nullum afferat fructum, & eius, & noſter dominus una nos ſpe dimiſſos non fruſtratur,ſed remunerat.

OPPOSITA RELATA XXIII.

NAm etiamſi innumeros pædagogos habeatis in Chriſto,non multos tamen habetis patres. Siquidem in Chriſto Ieſu per Euangelium uos genui,1. Cor.4. Væ filij deſertores dicit dominus, ut faceretis conſilium,& non ex me:& ordiremini telam,& nō per ſpiritum meum, qui ambulatis ut deſcendatis in Aegyptum,& os meum non interrogaſtis, Eſai.45. Porrò cuicunq; multum datum eſt, multum quæretur ab eo:& cui commendauerunt multum,plus petent ab eo,Luc.12.Vt reges nunquam in magis regali uerſantur officio,quàm quum pro concione loquētes ſuadent pacem,componunt ſeditionem, hortantur ad legum obſeruationem: aut pro tribunalibus ſedentes audiunt cauſas,& ius æquum reddunt populo:Ita concionator Eccleſiaſticus in omnibus egregius prorſus in faſtigio dignitatis eſt,quum è ſuggeſto

doctrina

doctrinâ ſacrâ paſcat gregem dominicum, eiq́; diſpẽſat theſaurum Euangelicæ philoſophiæ. Non eſt æquum nos relinquere uerbum Dei, & ſeruire menſis, Acto.6. Prophetæ prophetabant mendacium, & ſacerdotes applaudebant manibus ſuis, & populus meus dilexit talia. Quid igitur fiet in nouiſſimo eius? Hierem.5. Non eſt diſcipulus ſupra præceptorem, neque ſeruus ſupra dominum ſuum. Si ipſum patremfamiliâs uocauerunt Beelſebul, quantò magis domeſticos? Matth.10. Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Chriſtus in uobis, Gal.4. Communicet autem qui catechizatur ſermone, ei qui ſe catechizat in omnibus bonis, Galat.6. Non enim quæro quæ ueſtra ſunt, ſed uos. Non enim debent filij parentibus recondere, ſed filijs parentes, 2.Cor.12. Chryſoſtomus Homil. in Matth. 28. Sicut gaudet medicus, quando ad eum ægrotantium multitudo proſequitur. Sicut lætatur Rex, quando ad magni exercitus manus armata circumdat: Sic exultat ſacerdos, quando ad eum audientium populus magnus auſcultat. Chryſoſt. Homil.70. Si quis amicum tolerat, acriùs æquo animo inſurgentem intentionem conſiderans, quòd beneuolè, non inſolenter, hoc agit. Multò magis doctorem increpantem, non autoritate tyrannica iſta dicentem, neque quaſi principis loco conſtitutum, ſed curatoris.

CONTRARIA.

Sed quæ mihi erãt lucra, ea arbitratus ſum propter Chriſtum damnũ eſſe. Quin etiam arbitror

omnia damnum eſſe propter excellentiam cognitionis Ieſu Chriſti domini noſtri, propter quem omnia pro damnis duxi, habeoq́; pro reiectamentis, ut Chriſtum lucrifaciam, Phil. 3. Væ autem mihi eſt, niſi Euāgelizem. Nam ſi uolens hoc faciam, præmium habeo: ſin inuitus, diſpenſatio commiſſa eſt mihi, 1. Cor. 9. Mores bonos colloquia corrumpunt mala, 1. Corinth. 15. Num illud peccaui, quòd meipſum humiliaui, ut uos exaltaremini? quòd gratuitò Euāgeliū Dei prædicauerim uobis? Cæteras Eccleſias deprædatus ſum, accepto ab illis ſtipendio, quò uobis inſeruirē, 1. Cor. 11. Etenim ſi ſpiritualia ſua communicauerunt gentibus, debent & hæ in carnalibus miniſtrare illis, Rom. 15. Si nos uobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt ſi nos carnalia ueſtra metamus? 1. Corinth. 9. Miche. 3. Hæc dicit dominus ſuper prophetis, qui ſeducūt populum meum, qui mordent dentibus ſuis, & prædicant pacem. Et ſi quis non dederit in ore eorū quippiam, ſanctificant ſuper eum prælium: Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum, Eſai. 5. Quemadmodum autem fures ſolent obiecta eſca canibus uocem adimere: Ita quibus charius eſt priuatum emolumentū, quàm gregis dominici publicum, ij Eccleſiaſtis latrare incipientibus pecuniam, aut ſacerdotium uelut offam in fauces inijciunt, ut ſileant, & furibus prodant domum Dei. Submoues colonum negligenter aut imperitè

ritè colentem arua tua, & non ſubmoues concionato-torem, malum ſemen iacientem in bonam domini ſe-getem? Noui *& humilis eſſe, noui & excellere, ubiq; & in omnibus inſtitutus ſum, & ſaturari, et eſurire, & abundare, et penuriam pati,* Philip. 4. Hierony-*mus lib. comment.* 11. *in* Eſaiam *cap.* 40. Quod *non ſolùm illo tempore clamabat* Ioannes, *qui ſermonis* Dei *præcurſor & præuius, rectè uox appellatur, ſed uſq; hodie in deſerto gentilium,* Eccleſiarum *clamāt magiſtri, ut rectas faciamus uias, & ſemitas in cor-dibus noſtris* Deo, *impleamurq; uirtutibus, & incli-nemur humilitate, praua mutemus in recta, aſpera uertamus in mollia, & ſic gloriam domini, & ſaluta-re* Dei *uidere mereamur.* Hieronymus *in comment.* Eſai. *cap.* 1. Caupones *tui miſcent uino aquam*. Om-*niſq; doctor qui auſteritatem ſcripturarum, per quā poteſt audientes corripere, uertit ad gratiam, & ita loquitur ut non corrigat, ſed delectet audientes, do-num ſanctarum ſcripturarum uiolat atq; corrumpit ſenſu ſuo.* Hieronymus *in* Eccleſi. *cap.* 7. Cor *igitur ſapientis uadat ad domum talis uiri, qui ſe corripuit delinquentem, ut adducat ad lachrymas, qui prouo-cet propria lugere peccata, & non eat ad domum lætitiæ, ubi doctor adulatur, & decipit, ubi non con-uerſionem audientium, ſed et plauſus quærit, et lau-dem.* Hieronymus *in* Eccleſi. *cap.* 9. Videas *enim in* Eccleſia *imperitiſſimos quoſq; florere, et quia nutrie-runt, frontis audaciam, & uolubilitatem linguæ cō-*

ſequuti ſunt, dū non recogitant, quid loquantur, prudentes ſe & eruditos arbitrantur, maximè ſi fauorē uulgi habuerint, qui magis dictis leuioribus delectatur, & commouetur. Et è contrario *eruditum uirum latere in obſcuro, perſecutiones pati, & non ſolùm in populo gratiam non habere, ſed egeſtate tabeſcere*. *Hæc autem fiunt, quia incerto ſtatu feruntur omnia, & non eſt in præſenti retributio meritorum, ſed in futuro.* Chryſo. Homi. 38. Vos nō uultis *audire ſermonem compunctionis, ſed qui delectare ſono ualeleat, & uerborum compoſitione tanquàm cytharœdos, & cytharas audientes.* Et *nos ſegniter, & ærūnoſè facientes, ueſtras ſequimur concupiſcentias, cū ſit opus eas excidere.* Et *idem fit ac ſi quis pater frigido & plus debito, filio molli licet ægrotanti placentam offerat, & aquam frigidam, & quæcunq; duntaxat delectare ſolent*: Vtilium *uerò nullam gerat curam, et poſtmodū à medicis incuſatus ſe purget dicens*: Quid *faciam?* Non *ſuſtineo flentem puerum cernere*. Miſer *& infelix, & proditor*. Et *quantò melius eſt ſemel contriſtatum incolumem reddere, quàm momentaneā hanc lætitiam continuæ mœſtitiæ materiam facere?* Hæc *& nos patimur, uerborum fucos conquirentes, & cōpoſitiones, & elegantem iuncturam, ut delectemus, non ut proſimus.* Conſideramus *quomodò uideamur admirabiles, non quomodò mores componamus.* Aug. *lib. 4. doct. cap.* 1. Vt *uideliect illi qui res falſas perſuadere conantur, nouerint auditorem uel beneuolū,*

uel inten=

uel intentum, uel doctem procemio facere, iſti autem non nouerint: Illi falſa breuiter, & apertè; ſimiliter & iſti uera ſic narrant, ut audire tædeat, intelligere non pateat, credere poſtremò non libeat, &c. Vt *ſi quis enſem gerat, capulum quidem argentum habentem, ferrum uerò quolibet plumbo imbecillius:* Ita & *ij concionatores, quorum mens mala.* Lingua *quidem uerbis & nominibus eſt ornata, mens uerò multa repleta eſt infirmitate, & ipſis ad omnia eſt inutilis.* Auguſti. Regnum *cœlorum annunciabunt, habentes in pectore falſitatem, & in lingua ueritatem.* Non *prædicandum* Dei *uerbum, ut terrenum lucrum accipias, ſed tantùm accipiendum, ut poßis prædicare,* Auguſt. *de opere monachorum, cap.*26. Auguſtin. *lib.* 4. *de doctri. cap.*28. Nec *doctor uerbis ſeruiat, ſed uerba doctori: hoc eſt enim quod* Apoſtolus *ait, non in ſapientia uerbi, ne euacuetur crux* Chriſti. Qui *abſcondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autem ſuper caput uendentium,* Prouerb. 11.

PRIVANTIA.

SPeculatores *eius cæci omnes, neſcierunt uniuerſi, canes muti, non ualentes latrare, uidentes uana, dormientes & amantes ſomnia, & canes impudentißimi neſcierunt ſaturitatem.* Ipſi *paſtores ignorauerunt intelligentiam,* Eſaiæ 56. *Sacerdotes non dixerunt, ubi eſt dominus, & tenentes legem, neſcierunt me, & paſtores præuaricati ſunt in me,* Hiere. 2. Væ *prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, &*

um, & nihil uident, Ezec. 13. Sapientes abſcondunt ſcientiam, os autem ſtulti confuſioni proximum eſt; Prouer. 10. Hieronymus aduerſus Vigilantium, Nõ parum eſt ſcire, quod neſcias. Prudentis eſt hominis noſſe menſuram ſuam, nec zelo diaboli concitatum imperitiæ ſuæ cunctum orbem teſtem facere. Nòn eſt eiuſdem hominis aureos nummos, & ſcripturas probare, & deguſtare uina, & Prophetas uel Apoſtolos intelligere. Hieronymus in Eccleſiaſten cap. nono. Verba ſapientium in quiete audiuntur, pluſquàm clamor poteſtatem habentis in ſtultis. Quandocunq; uideris in Eccleſia declamatorem, & cum quodam lenocinio, ac uenuſtate uerborũ excitare plauſus, ac riſus excutere, audientes in affectus lætitiæ concitare, ſcito ſignum eſſe inſipientiæ, tam eius, quàm eorum qui audiũt. Verba quippe ſapientium in quiete, & moderatè audiuntur ſilentio. Qui uerò inſipiens eſt, quamuis ſit potens, & clamorem ſiue ſuæ uocis, ſiue populi habeat acclamantis, inter inſipientes computabitur. Quoniam Chriſti bona fragrantia ſumus Deo, in his qui ſalui fiunt, & in his qui pereunt: his quidem odor mortis ad mortem: illis uerò odor uitæ ad uitam, 2. Corinth. 2.

CONTRADICENTIA.

QVi igitur doces alium, teipſum non doces? qui prædicas non furandum, furaris? qui dicis non adulterandum, adulterium committis? Romanorum 2. Pauli Euangelium, eſt Euangelium Ieſu Chriſti;

Pauli Euangelium,non eſt Euangelium Ieſu Chriſti. Euangelico negocio non ſunt admiſcendi affectus humani, Euangelico negocio ſunt admiſcendi affectus humani. Euangelium eſt gratis docendum, Euangelium non eſt gratis docendum.

DISTANTIA SEV DIVERSA XXIIII.

D*I. Hieronymus lib. primo comment. in epiſtolam ad Galatas cap. 1. Grande periculum eſt in Eccleſia loqui, ne forte interpretatione peruerſa, de Euãgelio Chriſti, hominis fiat Euangelium, aut quod peius eſt, diaboli. Hierony. ad Nepotianum de uita clericorum, Nolo te declamatorem eſſe rabulam garrulumq́; ſine ratione; ſed myſteriorum peritum, & ſacramentorum Dei tui erudititſimum. Hierony. An non confuſio & ignominia eſt, Ieſum crucifixũ pauperem & eſurientem, fartis prædicare corporibus, & ieiuniorum doctrinam rubentes buccas tumentiaq́; ora proferre? Si in Apoſtolorum loco ſumus, non ſolùm ſermonẽ eorum imitemur, ſed etiã conſuetudinẽ & abſtinentiã. Hier. lib. 2. cõment. in Eſa. cap. 3. Ille eſt ergo doctus Eccleſiaſticus, qui lachrymas, non riſum mouet, qui corripit peccatores, qui nullum beatũ, nullũ dicit eſſe felicem, nec præuenit ſententiam iudicis ſui dicente ſcriptura ſancta: Ne beatum dicas quenq̃ hominem ante mortem, Pſalmo. 67. Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuũ? Eccleſia-*

ſten

ſten profeſſus,pro columba eſt ſus in cœno uulgarium delitiarum uolutatus, pro argento habet lutum in pectore,pro auro carbones. Quòd *ſi tantus honor habitus eſt ſynagogæ prophetis,qui uelut è longinquo uenturam felicitatem præcinebant,idq́; ſub inuolucris,quid debetur* Eccleſiæ *prophetis,qui præſentem oſtendunt,nec oſtendunt tantùm,ſed tradunt etiam quatenus fas eſt, idq́; diluc̀ide, nullis inuolucris aut ænigmatibus?* Horum exemplorum libentiùs *meminí,ut ſacræ ſcripturæ autoritate, ueterumq́; teſtimonijs commoti,diligenter obſeruetis argumentationes,quæ extant in arcanis literis,&* Orthodoxorum *commentarijs,quomodò ad inuentionem* Dialecticam *poßint accommodari.* Bene *ualete.*

SVMMI ET PERFECTI CON=
cionatoris Euangelici paradigma, ſeu exemplum formaq́;, per Alard. Aemſtelredamum.

ET dici cupis, & cupis uideri
Euangelicus eſſe præco, totum
Te dedas ſemel omnibus iuuandis,
Errantes reuocans, ſed aptè, amanter,
Scitè, pacificansq́; factioſos,
Ignaros patrio docens amore,
Aegrotos ſimul erigens, ſimulq́;
Lugentes, quibus eſt acerba uita,
Conſolans, dapibus iuuans famentes,
Oppreſſos alacri aſſerens labore,
Afflictisq́; ferens quibus leuentur.
Naſcentes fer & exhibeto Chriſto.
Syncero uigilans amore ſemper
Pro re, proq́; ſalute ſingulorum.
Supremis animam labris habentes
Confirma, morientibus ſalubri
Adſis antidoto, uiaticoq́;,
Ad cœleſtium amorem, item bonorum
Inflammans, ſtimulans, trahens, & urgens.
Extinctos ſepeli, foueto egenos,
Ora ſacrificaq́; pro ſalute
Quorumuis: ſed quid opus diu morari?
Omnem rem tribus explicabo uerbis.

Vnumquemlibet obuium beato.
Nullum prætereas tuæ medelæ
Expertem, auxilió ue deſtitutum.
Quotquot ſunt animíq; corporiſq;
Morbi, qua potes arte mox medetor.
Hoc unum ſtudeas, in hoc alacri
Incumbas ſtudio, paríq; cura.
Hoc conſtanter agas, agaſq; gratis.
Aſt his pro meritis nihil uiaßim
Humanæ cupias ſtipis rependi
A quoquam, licet offeratur ultrò,
Obtrudatur, & urgeant potentes.
Non gemmas, nec opes, pecuniaſq;,
Applauſum, obſequiúm ue, gloriám ue.
Hic demùm bonus ille præco ſolus,
Qualem totus ubiq; quærit orbis,
Qualem mulibus è uiris peritis
Vix unum inuenias ſat abſolutum,
Qualem non aliter colit, ueretur,
Demiratur, amat, celebrat, effert,
Ac quoddam ſuperum fauore celſo
Delapſum æthere ſingulare numen.

Chriſtus ad Apoſtolos.

Vadite, & hæc memores orbi mandata referte,
Confidant & ament, pœnitéantq; cito,

LOCI MORALES CONTRA DELICATOS SIVE (VT B. Paulus uocat) carnales, ex Apoſtolicis epiſtolis accuratè ſelecti per Alardum Aemſtelredamum.

AN ignoratis fratres quia quæcunque, &c. uſq; ad, Sciẽtes quod Chriſtus reſurgens, Roma. 6.
Eodem: An neſcitis quoniam cui exhibetis uos, &c. uſque ad finem capitis.
Cap. 8. Nihil ergo nunc damnationis, &c. uſque ad, Nam expectatio creaturæ, &c.
Eod. Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.
Cap. 12. Obſecro itaq; uos fratres, & cæte. uſque ad finem.
Cap. 11. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, &c. uſq; ad finem.
1. Corinth. 4. Neſcitis quia templum Dei eſtis, & cæ. uſque ad, Scriptum eſt enim.
Cap. 5. Neſcitis quia modicum fermentum, totam maſſam, & cætera, uſque ad, Quid enim mihi de his, ad calcem.
Cap. 9. An neſcitis quia iniqui regnum Dei, & cæt.

*uſq; ad,*Et *hæc aliquando quidem.*

Eodem:*Qui adhæret domino unus ſpiritus eſt.*

Eodem:An *neſcitis quoniam membra,& cæt.uſq; ad finem.*

Cap.9.*Neſcitis quòd hi qui in ſtadio currunt, &c. uſq; ad finem.*

Cap.10.Nolo *enim uos ignorare,& c.uſq; ad,* Itaq; *qui ſe exiſtimat ſtare.*

Cap.13.*Si linguis hominum,& cæ.uſq; ad,*Charitas *nunquid excidit.*

Cap. 15. *Si in hac uita tantùm in* Chriſto *ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus: quomodò miſerabiliores omnibus, ſi (ut heu uulgò fieri uidemus) delicatè ſupra omnes uiuentes partem tantùm cum* Chriſto *habere poſſumus?*

Eod.*Primus homo de terra terrenus, &c.uſque ad,* Ecce *myſterium uobis.*

Cap.16.*Vigilate,ſtate in fide,uiriliter agite,& cõfortamini:omnia enim ueſtra in charitate fiant.*

Eod.*Si quis non amat dominũ noſtrum* Ieſum Chriſtum,*ſit anathema maranatha:ſed quomodò hũc diligit,qui totus mundo ſeruit?*

2.Cor.5.Et *ideo contendimus ſiue abſentes, & cæt. uſq; ad,Scientes ergo timorem domini.*

Eod.*Charitas enim* Chriſti *urget nos,& cæ. uſq; ad,* Vetera *tranſierunt.*

Cap.6.*Adiuuantes autem exhortamur,& cæt. uſq; ad,*Os *noſtrum patet.*

Cap.7.

Cap.7.Has ergo habentes promiſsiones, &c. uſque ad,Capite nos.

Gala.5.Dico aũt in Chriſto,Spiritu ambulate,& cæ. uſq; ad finem.

Cap.6.Nolite errare,Deus non irridetur, &c. uſq; ad,Videte qualibus literis.

Ephe.4.Obſecro itaque uos,& c. uſque ad , Vnum corpus.

Eod.Hoc igitur dico & teſtificor,&c.uſque ad finem Cap.5.totum.

Cap.6.Filij obedite parentibus,&c. uſq; ad,Vt detur mihi ſermo.

Philip.2.Si qua ergo,&c,uſque ad, Propter quod et Deus.

Cap.3.Imitatores mei eſtote,&c.uſq; ad finem.

Cap.4.De cætero fratres quæcunq; ſunt uera, & c. uſque ad,Gauiſus ſum autem in domino.

Coloſ.1.Ideo & nos ex qua die,&c.uſque ad,In quo habemus redemptionem,&c.

Cap.3.totum.

Cap.4.Domini quod iuſtum eſt,&c,uſque ad,Quæ circa me ſunt.

Primæ Theſſa.4.De cætero ergo fratres uſque ad, Nolumus autem uos ignorare. Cap.quintum totum.

Primæ Timot.1. Finis autem præcepti eſt charitas de corde puro & conſcientia bona,& fide non ficta.

2.Timo.ſecundo.Fidelis ſermo,&c.uſq; ad,Noli uerbis contendere,

Eodem,Sed firmum fundamentum Dei *ſtat,&c.uſq; ad,Stultas autem & ſine.*
*Cap.*3.Hoc *aũt ſcito,&c.uſq; ad,* Ex *ijs enim ſunt.*
Eodem,*Omnis ſcriptura diuinitùs inſpirata,& cæt. uſque ad finem.*
Tit.2.Apparuit *enim gratia* Dei,*&c.uſq; ad finem.*
*Cap.*3.Admone *illos,&c.uſq;,Stultas aũt quæſtiones.*
Heb.5.*Omnis enim qui lactis eſt particeps,&c.uſq; ad finem.*
Cap.6.Quapropter intermittẽtes inchoationis Chri*ſti ſermonem,ad perfectiora feramur.*
Eodem, *Cupimus autem unumquenq; ueſtrum, &c. uſque ad,*Abrahæ *nanque promittens.*
Cap.12.Ideóq; *& nos tantam habentes,&c. uſq; ad,* Nondum *enim uſque ad ſangui.*
Eod.Itaq; *regnũ immobile ſuſcipientes,uſq; ad finẽ.*
Iacobi 1.Eſtote *autem factores uerbi, & non auditores tantùm,&c.uſque ad finem.*
*Cap.*4.Adulteri,*neſcitis quia,&c.uſq; ad,* Qui *detrahit fratri.*
Eodem, *Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi.*
1.Petri 1.*Propter quod ſuccincti lumbos,&c.uſq; ad,* Et *ſi patrem cognationis.*
Cap.2.Deponentes *igitur omnem,&c.uſq; ad,* Pro*pter quod continet.*
Eodem,Chariſſimi,*obſecro uos tanquàm aduenas, &c.uſque ad finem.*

Cap.3.Similiter & mulieres,&c.uſq; ad,Et quis eſt qui uobis nocat?

Cap.quarto,Chriſto igitur paſſo,&c.uſq; ad, In quo admirantur.

Eodem,Omnium autem finis appropinquat,&c.uſque ad,Si quis loquitur.

Eod.Quoniã tẽpus eſt ut incipiat,&c.uſque ad finẽ.

2.Pet.1.Per quem maxima & pretioſa,&c.uſq; ad, Propter quod uos incipiam ſemper.

Cap.3.Non tardat dominus promiſsionem, &c. uſq; ad,Sicut & chariſsimus frater noſter.

1.Ioan.2. Et in hoc ſcimus quoniam cognouimus eũ, &c.uſq; ad,Chariſsimi non mandatum nouum.

Eodem,Nolite diligere mundum,uſq; ad,Filioli, nouiſsima hora.

Cap.5.Hæc eſt enim charitas Dei,&c. uſq; ad, Et hæc eſt uictoria.

FINIS.

Alardus Aemſtelredamus ad Forentium Parthenium.

Florida uirginitas quanti ſit habenda, puſillum, at
Nobile cum primis, hoc docet elogium.

Compendiarium Virginitatis encomium.

Eſaiæ capite 56. Et *non dicat* Eunuchus: *Ecce ego lignum aridum, quia hæc dicit* Dominus Eunuchis, *Si cuſtodierint ſabbata mea, & elegerint quæ uelim, & tenuerint fœdus meum, ab ijs in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus, nomen ſempiternum dabo eis* quod non peribit. *Sapientiæ tertio,* Felix *eſt ſterilis & incoinquinata, quæ neſciuit thorum in delicto, habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum.* Et *ſpado qui non operatus eſt per manus ſuas iniquitatem, nec cogitauit aduerſus dominum nequiſsima: dabitur enim ei fidei donum electum, & ſors in templo* Dei *acceptiſsima.* Matthæi *decimonono,* Et *ſunt* Eunuchi *qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cœlorum: qui poteſt capere capiat.* 1. Corinthiorum 7. Qui *ſine uxore eſt, ſolicitus eſt quæ domini ſunt, quomodo placeat* Deo: *& mulier innupta, & uirgo cogitat quæ domini ſunt ut ſit ſancta corpore & ſpiritu.* Et *mox ibidem,* Bonum *eſt homini uxorem non attingere.* Nam *uelim omnes eſſe, ut & ipſe ſum.* Bonum *eſt ſi manſerint ut & ego.* Arbitror *igitur hoc bonum eſſe propter præſentem neceßitatem: nam bonum eſt homini ſic eſſe, hoc autem ad id quod uobis conducibile eſt dico,*

non uti

non uti laqueum uobis inijciam, ſed ut quod honeſtum eſt ac decorum, ſequamini, & ut adhæreatis domino abſq; ulla diſtractione, attamen beatior eſt, ſi ſic maneat iuxta meam ſententiam. Opinor autem quod et ipſe ſpiritum Dei habeam. Apocalypſis decimoquarto, Hi ſunt coinquinati: uirgines enim ſunt, hij ſequuntur agnum quocunque ierit, & ſine macula ſunt ante thronum Dei.

MATTHAEI PHILADELPHIENSIS *apud Epheſum Metropolitani precatio, Alardo Aemſtelredamo interprete.*

IPſo uitæ medio mors dominatur. Ecquem igitur tandem quæramus, niſi te domine unicum uitæ autorem? Ne quæſo in malum memineris peccatorum populi tui. O ſancte Deus, O ſancte fortis, O ſancte immortalis. Neq; in tenebroſa mortis tartara, animas noſtras, tum opera, tum imagines immenſæ bonitatis tuæ, quum ſis totus miſericors, eijcias aut profliges. AMEN.